




1
6
133











CHARTAE PALANTES.

CHARTAE PALANTES,

In quibus

ORATORIA, ET POETICA
ſic exercetur, vt multiplex rerum
cognitio exhibeatur,

A PAGANINO GAVDENTIO I.C.
publico Eloquentiæ Profeſſore,





Florentiæ Typis nouis Amatoris Maſſę, & Soc.
Superiorum Permiſſu. M.DC.XXXVIII.



Sereniſsimo Magno Duci Etruriæ

FERDINANDO II.

Domino ſuo Clementiſſimo.



Tſi Celſitudinis veſtræ tanta ſit gloria, vt qui eam ſe putet poſſe dicendo illuſtrare, ille eodem opere lucem ſoli fœnerari inſtituat, non tamen ſilendum, humili dū pareo obſequio. Nec repeto aliquot quæ contigere abhinc annos. Quid affectu, quo V. C.nem proſequitur ipſe Sacratisſimus Cæſar Ferdinandus Tertius, fieri arctius vſquam poteſt? ad magnū faſtigiū in exercitibus extulit Principem

cipem Matthiam, vt impauidam magnanimamq; ipsius virtutem, qua Suecos, reprimit, remuneraretur. quam singulari humanitatem Ladislaus inclytus Sarmatarum Rex Archiducem Claudiam, sidereis animi corporisq. præditam dotibus, excepit ea etiam de causa, quod Mater sit Serenissimæ Victoriæ Sponsæ vestræ? Nuper ingentem in omnibus plausum excitarunt Regis Catholici litteræ, quibus sũmo cum Imperio suis classibus Thalassiarchã præfecit Principem Iohannem Carolum. In Epistola, quæ præfatur, alia omittenda veniunt. quod si Europæ, imò orbis Apices sic se cum C. V. gerunt, quid non agant Principes et Respublicæ, vt V. C.nis in se deriuent beneuolentiam? quam humile verò, quamq. submissi animi erit obsequium, quod reliqui, præsertim Professores disciplinarum, atq. inprimis qui vestro militant stipendio, V. C.S.ma probare non satagant? Hos inter ego, qui innu-

meris

meris nominibus V.C.me me obstrictum agnosco, hoc agere præcipuè cupio, vt cum eruditis communicentur libri, V.C.nis gloriosum præferentes nomen, ne obliniosus videar fuisse, & incogitans in excolendis immortalibus beneficijs, quæ à V.C.me profecta potuerunt, & debuerunt diligentiam meam, ad cogitationes non tralatitias inflammare. prodeunt ergò iam Chartæ Palantes V.C.nis Principumq. Etruriæ, Etruriæq ipsius gloriæ dicatæ. Palabantur enimuerò ante hac, palantes propterea dictæ, iunctæ autem nunc sub V.C.nis auspicijs, et in phalãgem densatæ, robore, vt spero, non carebunt aduersus Psyllos, Zoilos, Momos, genus hominum vile, robustæ doctrinæ, & eruditionis expers, allatrans canino more quod non assequitur, quod non intelligit, fremẽs, & irascẽs illis, quos imitari nequit, quosq imitaturum nunquam sperat ex tali turba si quis forte illotis pedibus, maledicendo Chartis istis, irrue-

re tentet, quidni percellatur à V.C.^nis immenso fulgore, vt ſtupens, timens AEgide Ferdinandea perſtrictus atq. perculſus à sensu, à seipso abeat. Summũ Numen, Ser.^me Magne Dux, domine clementisſime, Veſtræ Celſ. perpetuam felicitatem, Regalemq. prolem largiatur. Dabam Flor. VII. Cal. Nouembris, M. DC. XXXVIII.

Veſtræ Ser.^mæ Celſit.^nis

Humillimus, obſtrictiſſimuſq;
Seruus

Paganinus Gaudentius.

Ad

AD EVNDEM SERENISS.^MVM DOM.^NVM

Epigramma.


Dux magnanime, immenſo dignisſime regno,
Quem Superis ſimilem candida Flora colit,
Ne patere, vt fugiant folia hæc ludibria vẽto,
Aut turpi lateant ſemisepulta ſitu.
Quin pius, Auſoniã claras qui luce benigna,
Et Tuſcos hilaras ſol velut ætherius,
Effice, vt inuidiæ ſpreto molimine, Charta
Facundæ ſubeat lucida templa Deæ;
Sic eris Auguſti semper mihi Numinis inſtar,
Atq. tuum gratus nomen vbiq. canam.

† LE-

LECTORI S.


X auditoribus non paucos, ſparſim legi, vagariq. mearum orationum poeticarumq. ſcriptionum aliquas, quam moleſtè ferre cum quotidiano prope conuitio aliquandiu audiuiſſem, putaui tandem par eſſe, vt in agmen me duce irent, & ſe quaſi centuriarent. acceſſit grauitas morbi, qui totam me exercuit æſtatem, coegitq. non ſemel de colligendis cogitare ſarcinulis. In quo conflictu, dolebam, fateor, ſic deſerenda oratoria poeticaq; meditamenta, vt meum poſt obitum diſiuncta forent viribus caritura. quando verò Cœlitum benignitas ægro à corpore depulit imbecillitatem, triſtifica illa cogitatio ſic me ſubinde vellicauit, vt quamprimum editionem maturauerim, languere licet, nondumq; firmo incederem pede. En ergò tibi, beneuole Lector, laborum in dicendo ſcribendoque qualecumque ſpecimen, quod cum exiguum eſſe ipſe probè dominorim, ignoſces tamen euulganti, cum publici muneris, quo fungor, ratio ſocordiæ me non ſinat indulgere, ſint quamuis pleriq;, etſi publicè doceant, poſteritatis futurorumq. temporum incogitantes.

tantes. Meę verò tenuitati non nego nihil esse antiquius, quã dare operam, ne ingruente morte moriar omnis. Cui desiderio si ambigerem te fauere, peccarem in eam opinionem, quam etiam de mediocribus hominibus habere æquum est. vt iam, sperare omnino lubeat, à te eandem humanitatem, qua alios libellos meos excepisti, ad cognoscendas Chartas Palantes allatum iri. Vale.



INDEX EORVM

Quę continentur in opere

CHARTARVM PALANTIVM.

citata

Ad

Imprimatur Florentiæ 2. Octobris 1638.
F. Io. Inq. Generalis.

AN



AN S. MARCVS EVANGELIVM scripserit Latine?

DISSERTATIO.



FACIS pro tua insigni pietate (Serenifs. Magne Dux) & in sanctissimam Religionem Catholicam affectu, vt faueas magnopere laboribus eorum, qui sacrarum literarum studia sequuntur, quiq; voluendo sanctorum Patrum scripta Antiquitates Ecclesiasticas indagant, atq; expromunt. Cuius rei quale quale specimen hic præbere lubet, vt quæram latinè ne scripserit Euangelium suum S. Marcus

an Græcè? Ac ſanè reprehendi non poteſt, quiſquis interrogatus, qua lingua diuinum inſtrumentum conſcripſerint S. Euangeliſtæ, præter Matthæum, qui Hebraicas adhibuit literas, reſponderit Ioannem, & Lucam vſos quidem Græco idiomate, at Marcum videri exaraſſe latinis verbis. Inſani namque fuerit hominis præfractè reijcere, quod à nonnullis veterum narratur, quod veriſimili ratione nititur, quod etiam ſentiunt, & docent doctisſimi grauisſimiq; huius ſeculi Scriptores. Nec tamen damnandam cenſuerim, aut ſuperbè reijciendam opinionem eorum, qui Græcè compoſitum fuiſſe teſtamentum à S. Marco eunt affirmatum, cum itidem aliqui ex antiquis ita exiſtimauerint, atq; recenſuerint. Res itaq; tota poſita eſt in quadam veriſimilitudine, quę facit vt in neutram partem quicquam ſit cum ſupercilio Catoniano pronunciandum. Sed diſſimulandum non eſt, non defuiſſe, qui putarit à S. Marco Romæ quidem primum confectum fuiſſe diuinum opus latinis literis, cum verò iuſſu Petri Aquileiam petijſſet, ibi quæ Romano ſermone conſtabant, ab ipſo in Græcum fuiſſe deducta, atque tranſlata. Sic quidem ſentit Petrus Epiſco-

pus

pus Aquileiæ in catalogo. Nec nouum eſt, vt lib. 4. c.
quæ quis vna lingua compoſuit, deinceps in 86.
aliam quoque vertat, atque tranſponat. Superiori certè ſeculo (vt vetuſtiora exempla non proferam) Bembus Hiſtoriam Venetam pari elegantia Latinè, & Etruſcè edidit. Cæterum antequam in medium adducamus pondera rationum, quibus fulcitur vtraque ſententia, hoc præſcribendum, pręmittendumque eſt, quod ſiue Latinè, ſiue Græcè ſcripſerit Sanctus Marcus, nullum tamen hodie extet aliud Euangelium ipſius, antiquius Græco. Nemo namquę ignorat latinum, quod hodie extat, ſaltem translatum fuiſſe ex Græco. quod effatum nulli admirationem adferre debet, cum idem planè de S. Matthæi Euangelio affirmetur. Euangelium, inquam, S. Matthæi Hebraicis literis ab initio eſt dictatum, & deinde factum Græcum à Iacobo, vt nonnullis videtur, at Hebraicum authenticum perijt, ſupermanente Græco. ita dixerimus S. Marci narrationem de vita Chriſti compoſitam fuiſſe primum Latinis Romaniſq; monumentis, deinceps vel ab ipſo, vel alio viro aliquo Apoſtolico Græcè verſam fuiſſe, originarium verò

Latinum è memoria hominum euanuisse, retentumque Græcum, vnde Sanctus Hieronymus, aut quisquis est vulgatus interpres nobis Latinam vulgatam versionem dedit. Nam quod nonnulli asserunt Latinum primum Euangelium Sancti Marci reperiri Venetijs, id hactenus exploratum non fuit. & cur, si tantus thesaurus ibi asseruaretur, Veneti Senatores eum ostendere, cupientibus videre, non dignarentur? sed ad rem ipsam aggrediamur. Ergo S. Marcum scripsisse Latinè sentiunt duo doctissimi Cardinales Bellarminus, & Baronius, quorum auctoritas tanta est, vt quod ipsis arriserit, id probabile esse velle infitias ire fuerit hominis ferreæ frontis, cum Aristoteles, & interpretes docuerint verisimile esse quod videtur pluribus, aut sapientibus. pluribus quidem, vt quod vulgi sermone est receptum tanquam manifestè falsum reijci nequeat. Sapientibus verò, vt quod magni homines tradunt, atque profitentur, id è censu veritatis non tam facilè explodi, excutique debeat. quis verò sapientis nomen meretur, si Baronius id sibi non vindicat, si Bellarmino id attribuendum non est? legendus est Baronius Bellar-

tom. 1. ad an. 45. n. 38.

Bellarminus verò rem paucis verbis absoluit. verba ipsius adscribere lubet. *Marci vero librum latinè ab ipso Marco Romæ scriptum esse, ac deinde ab eodem Aquileiæ in Græcam linguam conuersum, docet Adrianus Finus libro flagelli Iudæorum sexto capite octuagesimonono, & libro octauo capite sexagesimo secundo, & qui Finum secutus est, Petrus Antonius Beuther annotatione octaua, & nona ad sacram socipturam. in vita quoque Sancti Petri, quæ in Pontificali Damasi primum locum tenet, satis apertè indicatur Marci Euangelium initio latinè ab ipso scriptum fuisse.* lib. 2. de Ver. Dei cap. 7. Hactenus Bellarminus. Sic verò differere libet, ne absurdum videatur dictu, Sanctum Marcum scripsisse latinè. Sanctus Hieronymus narrat Sanctum Marcum fuisse interpretem Diui Petri in Chronico Eusebij, quod ipse vertit. *Marcus*, inquit, *Euangelista interpres Petri.* alibi: *Sed & Euangelium iuxta Marcum, qui auditor eius, & interpres fuit, huius dicitur.* ibidem hęc habet. *Marcus discipulus, & interpres Petri iuxta quod Petrum referentem audierat rogatus Romę à fratribus breue scripsit Euangelium.* Si interpretis munere functus est Marcus cum scri- de script. Eccles. ad Dext.

beret

beret Euangelium, & erudiret Romanos, videtur omninò latinè hæc peregisse non Græcè. nam Sanctus Petrus visus est disserere apud Romanos Græcè, cum literas suas exarauerit Grę cè, neque quicquam certi produci queat, vnde quis colligat Latino sermone vsum S. Petrum, cum ex Oriente venisset, & ex Hellenistarum numero, qui Hebraica cum Græcis commiscebant, esset. Quod autem ait conditor annalium certum esse, Petrum Romanos homines latina lingua allocutum fuisse, id nescio quam solidum sit. namque Sanctus Paulus ad eos dedit Epistolam græcam, quid vetat ipsum, & Petrum Romæ Græcè locutos? vt iam omittam quod qui primi susceperunt Romæ Euangelium videntur pleriq; externi fuisse, & ex Syria, Græciaque oriundi, aut saltem ab huiusmodi parentibus nati, cum satis constet innumeros homines ex Oriente, confluere solitos in Vrbem, quod cuiuis est exploratum, ex grauissima querela Iuuenalis, qui propterea ait se odisse Romam, quod Græca esset Vrbs. At regeret Annalium author, quod Græcus sermo vilescebat vsu meretricio infamatus, nō igitur verisimile esse S. Petrum locutum græce. Sed

re

animaduertendum eſt id quod ptofertur de vſu meretricio ſermonis Græci, apud Iuuenalem re periri, qui ſub Domitiano, & Traiano ſcripſit multis annis poſt Petri in Vrbe pręſentiam. Ad- do non rectè colligi ex Poëta linguam græcam vilem fuiſſe propterea quod quædam meretri- culæ ipſa vterentur. Satyricus namque non vi- tuperat linguam, quin illam ſuſpicit, ſed impu- dicas fœminas notat, quæ cum latinæ eſſent, & grecè neſcirent, vt tamen viderentur eſſe exo- ticum quid, tria verba ſabantur Græcè, & pręſertim in ore frequenter habebant Ψυχὴν καὶ ζωὴν quibus ſuis amatoribus blandiebantur. nam quod magni fieret lingua Græca illis tempori- bus, ac deinceps non ſpreta fuerit, ex eo diſce- re eſt, quod Imperatores, Senatores, & alij viri docti, & in dignitate conſtituti, quando aliquid argutè volebant dicere, & notatu di- gnum non infrequenter id Græcè proferebant, quod liquet inſpicientibus vitas Cæſarum à Sue tonio exaratas. Ita apud Martialem occurrunt nō diſſimilia, vt dum inquit: μισῶ μνήμονα συμπότην: & multa alia. Dum verò aio S. Petrum Græcè allocutum fuiſſe Romanos, non propterea puto pertritam, & peruulgatam fuiſſe eam linguam

Iuuenalis expoſitus.

græca lingua magnifacta Romæ.

Romæ

Romæ etiam apud plebeios homines. nota enim non erat nisi ijs, qui eam studio adhibito didicissent à Grammaticis, aut alioqui nati in Græcia transmigrassent in Vrbem. quod autem monui Petrum præcipuè egisse de rebus fidei cum peregrinis id sic accipio, vt tamen non excludam natos Romæ, quos saltem alloquebatur per interpretem suum S. Marcum. hæcq; causa est cur videatur S. Marcus Latinè potius quam Græcè exarasse, quia cum id fecerit rogatu Romanorum, & Romani potissimum videantur esse illi, quos per interpretem compellabat S. Petrus, existimandum est voluisse ipsorum vtilitati, cum Græci sermonis non essent gnari, consulere. qui enim peregrini erant faciliùs percipere poterant Latina, quam indigenæ, & Romæ nati Græca. Quis namque nescit eos, qui migrant ab vna natione ad aliam intra breue temporis spatium vtcumque loqui duplici sermone? At incolæ, qui nunquam discesserunt à paternis laribus magno labore necesse est vtantur, si velint aliam linguam diuersam à vernacula addiscere. Nunc proferenda sunt verba S. Damasi, vbi agit de Sancto Petro: *Post omnem quatuor Euangeliorum fontem,*

In Ponti ficali.

tem, quæ ad interrogationem, & testimonium eius (hoc est Petri) *firmata sunt, dum alius latinè, aliusq; Græcè, & alius Hebraicè consonant, tamen eius testimonio sunt firmata.* Matthæus Hebraicè scripsit, Lucas, & Ioannes Græco sermone sunt vsi. super est, vt Latina tribuantur S. Marco. Neque est quod argutator aliquis obstrepat, & dicat librum pontificalem non esse Damasi. quæso enim id vnde colligit? ac si semel fas fuerit tam facile scriptorum nomina in dubium reuocare, quid deinceps non vacillabit? Sed si non habeat Damasum scriptorem, an propterea nullius erit auctoritatis, & fidei? At clam non est, librum illum esse antiquum, & non contemnendæ notæ, cum Biblio thecarius totum præposuerit præfixeritq; luculento operi de Vitis Pontificum, quod beneficio Velseri hodie in manibus eruditorum versa tur. Quam verò temere nescio quis dixit omnes Scriptores cum de Pontificali libro Dama si loquuntur, dicere: *Fertur Damasus scripsisse* non sic loquitur Bellarminus iam adductus. non sic, qui collegit tomos conciliorum. non ita alij. Nunc perpendamus S. Hieronymi, & S. Augustini verba, quæ narrationem Damasianam

Liber Põtificalis an sit Damasi?

Epistola 123. videntur destruere. ait Hieronymus: *De nouo nunc liquor testamento, quod græcum esse non dubium est, excepto Apostolo Matthæo, qui primus in Iudæa Euangelium Christi hebraicis literis edidit.* *lib. 1. c. 2.* vicissim Sanctus Augustinus scribit: *Horum sanè quatuor solus Matthæus Hebræo scripsisse perhibetur eloquio, cæteri Græco.* At neuter absolutè negat Sanctum Marcum dictasse Euangelium Latinè. sanè tempore S. Hieronymi non extabat diuinum instrumentum latino more compositum à Sancto Marco. sed in manibus Antistitum versabatur Græcum eiusdem exemplar, vt mirum non sit si sanctus vir pronunciet nouũ testamentum esse Græcum. quod si ex verbis S. Hieronymi colligere liceret Sãctum Marcum non scripsisse Latinè, fas foret quoque negare vllum librum noui fœderis exaratum alio sermone quam Græco. Atqui graues homines narrauerunt Epistolam ad Hebræos hebraicè primum esse scriptam, & deinde translatam in Græcum sermonem à Luca, vel à Clemente. *lib. 3. hist. Eccl. cap 38.* Ita refert Eusebius, & Clemens Alexandrinus apud Eusebium. *lib. 6. c. 11.* Ad Augustini testimonium quod attinet, nemo non videt eum non planè infitias ire Sanctum Marcum latinè scripsisse.

Nam perhibeatur Grȩco eloquio vſus Sanctus Marcus, quid vetat Latinè prius ab ipſo fuiſſe ſcriptum? Mirum verò non eſt ab Hipponenſi Antiſtite ſic rem narratam, quando exiſtimauit Sanctum Marcum fuiſſe Matthȩi *pediſſequum*, *atque breuiatorem* eodem libro de conſenſu Euangeliſtarum primo. *Cap. 2.* At qui plerique omnes ex veteribus referunt Sanctum Marcum ſua compoſuiſſe, atque hauſiſſe ex ore Sancti Petri, ne quæ ſanctiſſimus Vir de vita Seruatoris, & admirandis operibus recenſuiſſet, obliuioni traderentur, vt non opus ſit affirmare narrationes Sancti Marci ex Euangelio Sancti Matthæi deriuatas. Toti diſſertationi finem imponam, ſi proferam, quod non ita pridem obſeruatum à viro conſũmatȩ eruditionis, qui Polyhiſtorem Solini emendauit, & illuſtrauit. *Cl. Salmaſius.* Is itaque in prolegomenis teſtatur ſe in antiquis libris manuſcriptis reperiſſe in Codice Euangeliorum & noui teſtamenti:

ἐυαγγέλιον κατὰ Μάρκον ἐγράφη ῥωμαιςὶ ἐν ῥώμῃ. *Euangelium ſecundum Marcum Romana lingua ſcriptum eſt Romæ.* Profectò non temere reijciendum eſt, quod vetuſti Codices manu exarati in ipſo limine legendum proponunt. Quod

ſi quis his non contentus, adhuc pergat conten-
tionis funem reciprocare, ei nos reponemus
1. Cor. 10 verba Diuini Apoſtoli, quod huiuſmodi con-
ſuetudine non vtimur.



DE

DE RERVM GERMANICARVM CONVERSIONE

Anno M.DC.XXXIII. Mense Octob.


DE RATISBONA EXPVGNATA.

De eadem recuperata,

NARRATIONES.



DE RERVM GERMANICARVM Conuersiione.



ABEMVR nos à Deo veluti pilæ. in rebus hominum à cæle-lesti potentia festiuus luditur ludus, cum ratione furit quisquis stabilem statum in hac mortalitate putat à se posse inueniri. citius Solem spoliaueris splendore, quam vt fortunæ adimas leuitatem. hanc illa sororem habet à latere nunquam diuellendam. huic Diuæ cum vetera sint inuisa non minus quam canis Appulta, proserpens anguis, in moliendis nouis semper occupatur. Erratis mortales dum in vtrumq; oculum

lum

lum dormitis, quasi quid cras sit futurum certi. atqui nescia est vestra notitia, quid sit allaturus is, qui post compositum Solem prodit. Somnia somniant ludicra, & inanibus cogitationibus exercent ingenium, qui præcipiunt meditando longinqua, & catenata collectione deducunt multa præoccupato euentu, quæ cum instabili fulciantur tibicine, vacillent cuncta necesse est, & de vanitate laboris ridendam impingant notam. Vna vertigo reciprocantis sortis omnem structurã subuerterit, latam ruinam dederit. quod si generatim pronunciari & potest, & debet, ad rem militarem tamen si transferatur meditamentum, splendidiores veritas emittet radios. Vltrò se ingerit dies effati, vltrò hic Phæbus nec cupientibus nascitur. nisi teipsum occæces, aut affulgenti lumini caliginosa peruicacia oculos claudas, rem non aliter habere vnà mecum fatebere. funem enìm altercationis si tibi foret animus ducere, vt temporis pretium decoqueres, clarissimum argumentum è rerum Germanicarum recentissima conuersione petitum sic obiectarem, vt eo animaduerso non aliter in lapidem abires, quam Phineus cum socijs, cum Andromedam sponso eripere

cona-

conarentur. Sed vt meliora mihi de te ſpondeam, neque acri putem eſſe opus obiurgatione, age tamen rem vt geſta eſt, ſaltem animi cauſa, quia recentiorum non ſumus incurioſi, narremus,& Hiſtoriæ, ſi tanti nugæ ſunt noſtrę, conſulamus. Ergò quiſquis es, in quem folium hoc incidit, oculos per Germaniam, velut per ingens Theatrum circumfer. Ditionem Colonienſem non diu erat cum inuaſerat impiger Baudizius. quam vaſtitatem non intulerar, quę loca non peruaſerat? ipſis ſuburbijs Vrbis primariæ cum equitatu incubuerat. Oppida non pauca occupauerat, muniuerat. Sed magis triſtia ſubſecuta ſunt. Hammelia ad Viſurgin diuturna obſidione preſſa à Principe Cattorum, & Cnifuſio preſſa ſuſpirabat opem tuam Merodi, tuam Gronsfeldi. Et vos quidem quanta potuit fieri celeritate militem collegiſtis, ſuppetias laborantibus, ſi fata ſinerent, laturi. Sed inauſpicato itum, occurſum hoſtibus infœliciter. quis cladem illius prœlij dicat? à nube ſilenti obducatur: nam deditio ſecuta eſt antiquiſſimæ munitiſſimæq; Vrbis. Ità res Catholici fœderis in Veſtfalia in calamitoſum ruerant detri mentum Sileſia viderat duos inſtructiſſimos

Hammeliā Vrbs occupata

exer-

exercitus, aut leuiter velitantes, aut ramos oleę pręferẽtes decucurrerat certè tota ęstas admirante Germania absq;eo,quod aperti belli manifesta ederentur specimina. id in rem Saxonis, & Sociorum trahebatur, cum propè totam detineret Prouinciam, Austriaci Regni partem non contemnendam. Erat qui quæreret ecquã do asserenda liberali causa manu foret, si id non euenisset tot Legionibus immani sumptu conscriptis,rectaq;in Hostem ductis illis mensibus, quibus calentibus in gelidissima regione fas est arma tractare: approperante hyeme,castra motum iri, bellatoresq; in hiberna concessuros. Non ita faciles fore Suecos, vt volentes reddant, quod bellando in potestatem suam redegerant, quodque præsenti militiæ apparatu, sibi non fuisset extortum: & erant qui colligerent, aut perpetuum extiturum bellum, vt in Belgio, aut Cæsarem amissa non recepturum. Ad Alsatiam si transiretur solum amœnum, fertile, Rheno flumine, à quo secatur, suspiciendum, materiam erat reperire,in qua Gustauiani Duces exultarent, Imperatoris partes, aut iacerent, aut vacillarent. occubuerat Montecuculus, cum eruptione facta è Brisaci mœni-

bus depellere conatus fuiſſet obſeſſores. Dux Lotaringiæ cum auxilio ſe fore ſperaret periclitantibus, multis amiſſis reiectus fuerat à Comite Rheni. Ità inſtar ægri corporis cenſebatur eſſe Briſacus, quod propediem animam eſſet acturum, cum præſertim nihil non pareret Hoſtilibus manipulis, Tabernas Montanas & Hagenoam ſi quis exciperet. non ego per ſingulas partes, quà longè latèque patet Germanicum nomen ibo: non de pulſis pleriſque Præſulibus dicam, Franciæ Orientalis ſtatum reticebo, Moguntiam ſilendo præteribo. Compendiaria prolixæ narrationis fuerit dicere, longè potiores fuiſſe partes eorum, qui Lipſiæ, & Heilbrũnæ fœdus inierant, adeò vt exiſtimarent ſe ſcripturos leges, non accepturos. Nunc frontem corrugemus, aures arrigamus, audituri ea, quæ incredibilem rerum ordinem, & admirabilem immutationem Suecicæ felicitatis vſurpandam proponunt. Duplici ſucceſſu ſeſe conſpiciendam præbet, vnde memorabile nomen duobus Ducibus paratur. nam cum Arnhemius copiarum Saxonicarum ſupremus Ductor maiorem partem exercitus e Sileſia abduxiſſet, ratus & Cæſareanos illinc receſſuros in Bohemiam

Arnhemius abducit copias ex Sileſia.

miam ingruente hyeme coactos, reliquiſſetque Tubaldum, Turniumque cum ſeptem ferè millibus equitum, peditumque, eius rei certior factus Fridlandiæ Regulus, imprudentia Hoſtis in rem ſuam vſurus, iuſſit expeditiſſimas equitum cohortes itinera intercipere, & obſidere, ipſe verò interim caſtra mouit, atque Suecos veluti feras indagine circumſeptos ad turpiſſimam deditionem adegit: cum enim ipſi viderent ſibi omnem euadendi rationem eſſe ablatam, & præſens mors vndique intentaretur, vnam horam deliberandi impetrârunt. atque in hoc pactum res cecidit, vt gregarij milites omnes ad ſtipendium Cęſaris tranſirent, Centuriones, Tribuni abirent liberi quò luberet, omnes arces, & oppida in Sileſia redderentur, Turnius interim & Tubaldus obſides eſſent, donec promiſſis ſatis foret factum. nec mora, tot egregij veterani illicò tranſmigrârunt, omnis commeatus cum magno numero tormentorum traditus, tot munita oppida reſtituta. quibus non contentus Valeſteinius ad Oderam vſq; eſt progreſſus occupatis Landſpergo, & Francofurto. Submiſit etiam noua auxilia Galaſſo, qui Miſniam ingreſſus Dreſdam vſque di-

Valeſtenius vtitur imprudētia hoſtis in rē ſuam.

Turnius, & Tubaldus obſides apud Valeſtenium.

citur excurrisse. Ità Saxo septemuir in præsentissimo periculo versatur omnia sua amittendi. Quid porrò futurum de Brandeburgico, facilè quiuis, qui harum rerum non est omninò ignarus, intelligit. Nunc Alsatia stilum, narrationemq; nostram vocat. per iugum Bormij (ita appellatur mons) per Tiroli angustias in viciniam Sueuiæ penetrauerat Dux Feriæ, qui Insubriæ aliquandiu nomine Regis Catholici prȩfuit. eius consilia turbaturus Gustauus Hornius, vir multis rebus gestis clarus, per agrum Tigurinum properans Constãtiam vallo circumdedit, vt expugnata eiusmodi Vrbe commoditate Lacus vti posset aduersus eos, qui Brisacum liberaturi venerant. Sed frustra fuit Hornius, & aliquot dierum operam lusit in obsidione, cum adminiculo nauium, quas parauerat Lindauij præses, introducta fuissent aliquot signa peditum, cum alijs ad obsidionem ferendam idoneis. Ita cum ipse animaduerteret Vrbem instructiorem esse ad defensionem, quam vt subiugari posset, à mœnibus recessit, Colmariamque petijt. At Feria feriarum nescius Comite Aldringero cum iustum haberet exercitum, & cui neque ab Hornio, neque Rheni

Hornius obsidet Constantiam.


Comi-

Comite posset occurri, intercepta in itinere Rin feldia, rectà duxit Brisacum versus. obsessores verò cum probè nossent tantum impetum à se sustineri non posse, rebus suis consuluerunt in vicinam ditionem Virtenbergici digressi. sic Deo hominibusque fauentibus Insubrica auxilia ingressa sunt in Vrbem, quæ ad incitas erat redacta, & de cuius incolumitate iam ferè desperauerant Viri prudentes. Nunc cum Cęsareanis præstò sit munitissima Vrbs, Prouinciæ caput, propugnaculum propè inexpugnabile, ex tuto receptu in subiectam Regionem, sic extendent vires, vt intra breue tempus videãtur ex reliquis quoq; locis hostes expulsuri. ne tamen obliuiscamur eorum, quæ ab initio huius narratiunculę declamabamus, vt nouerimus desultorium esse Fortunæ morem, quæ in eo suam potentiam ostentare amat, dum quos paulò antea humi afflixerat, ad fastigium euocat, quos exulerat, reliquisque formidabiles reddiderat, depressos rursus conterit, & traducit. at tu Deus, cuius arbitrio degit obnoxia ludicra sors, fatique potestas, gementibus tot annos populis largire desideratissimæ pacis munus.

Dux Feriæ suppetias fert Brisaco.


mos fortunæ desulto-- rius.

RA-



DE RATISPONA EXPVGNATA

Anno M.DC.XXXIV. Menſe Februario.





ELLE videbantur cadere res Cæſareanæ, poſtquam Fridlandię Dux incruento Marte victoriam ingentem fuiſſet adeptus, & non pugnando eripuiſſet hoſti tot ſpolia, tot propugnacula, tot oppida. Sed ei inuidit fructum tantæ expectationis neſcio quæ poteſtas, penes quam eſt rerum humanarum ambiguitas. Diſceſſerat nempè ex Bauaria Aldringerus, militeſq; ſuos cum Duce

Feriæ

Feriæ iunxerat, vnde anſam arripuit Bernardus Vinarienſis aliquid moliendi, quod poſſet Valeſteinij recentem felicitatem turbare, & grauem cladem Suecorum Saxonumque, ſi non compenſare, ſaltem diminuere. Aliquot dierum itinere, longo interuallo, viſus eſt inſequi Aldringerianos, vt magis ſuum cõſilium tegeret, ſi tamen tunc ſubierat animum intercipiendæ Ratiſponæ cogitatio. Ad Rauracos vſque cum perueniſſet, & rei frumentariæ inopia magnopere premeretur (aiunt trium dierum ſpatio caruiſſe exercitum pane) arrepto repente reditu, quanta potuit celeritate ad Danubium contendit, Vlmæ milites refocillauit, naues, tabulaſque ponti iaciendo parauit, rectaq; iter ad Ratiſponam obſidendam direxit. Videbatur omnibus conſilium audax, periculi plenum, & optato euentu cariturum. Quòd vrbi magnę circundandę impares eſſent quas ducebat cohortes, quod mœnia forent munita non inualidis propugnaculis, quibus expugnandis multum temporis deberet impẽdi. Interim ad futuras ſuppetias ex vicina Bohemia, aut ab Electore Bauariæ ex multis præſidijs contractum iri auxilia, aduenturum etiam

cõſilium audax Ducis Bernardi

ipſum

ipſum Aldringerum, poſtquam à ceruice Briſacenſium periculum fuiſſet depulſum. Horrida etiam erat hiems, omnia niuibus obruta, & gelu conſtricta. An tolerare poſsent obſeſſores aeris ſæuiſſimam iniuriam? An cubituri non tantum humi, ſed in ipſa glacie? Vnde equis fœnum parandum? Vnde conuehendus commeatus? non exiguum eſſe in vrbe defenſorum numerum. Hæc tamen aliaq; Suecorum Ducem Bernardum non deterruerunt, quò minus facinus ingens aggrederetur, inque ſpem veniret maximam, depulſis Bauaris potiturum ſe vrbe: diſceſſiſse procul in Alſatiam vſque ſi quid erat in illa regione veteranorum militum. Ab incondita turba ruſticorum, quæ forte poſſet concurrere, non eſſe timendum, longius diſtare Cæſareanos, quam vt laborantibus poſſent, dum res poſceret, adeſſe. Ad Albim namque progreſſos plurimos tranſijſſe ipſam Oderam, & iam carpere Pomeraniam. Non opus eſſe trahere diuturnam obſidionis morã, quod mœnia veteri more cõſtructa facilè quati, deijcique queant. Magnum exiſtere ciuitatis circuitum, neque ad omnem in tanto ſpatio impetum poſſe aduolare Bauaros, ciues iner-

Vinariæ Dux cur putet à ſe poſſe expugnari Ratisbonam.

mes

mes degere, & ſi liceret arma capere, à Duce Bauariæ defecturos, facilem quoque fore expugnationem à parte ſeptentrionis trans Danubium, qua Hoſium oppidum ſuburbiorum inſtar imminet lapideo ponti. Occupato namque loco illo, quæ res nullius eſſet difficultatis, deinceps poſſe quaſſari turres pōtis, & ſubmoueri quicumque auderent occurrere. Sic ſecum diſſerebat Dux, cuius ſagax ingenium dicitur cum ferocia certare. In toto ambitu excitatæ munitiones, contemptum frigus more Suecorum, qui primi præeunte Rege Guſtauo viſi ſunt militiæ hybernos menſes iungere æſtiuis. Hoſium ſtatim inſeſſum, ex eo irruptio tentata, & quidem feliciter. Nam Ductor defenſorum cum pro ponte pugnaret, grauiſſimo eſt occupatus vulnere, & prope interemptus, quæ res terrore repleuit Bauaros, vt cœperint animum deſpondere, & inſtante, vrgenteque hoſte de vrbe certis conditionibus dedenda agere. Res intra diem tranſacta, atque poſtridie abeuntibus Præſidiarijs, Vinarienſes vrbem ſunt ingreſſi, non ſine magno ciuium applauſu, & lętitia. Atque videre erat è turba homines vndiquè eſculenta, & poculenta famelicis, & ex-

tenuatis militibus conferentes. Obſidio intra paucorum dierum numerum eſt abſoluta. Nã quinta Februarij dicitur vallo circundata Ciuitas, decimaquinta dedita eſt. Fruſtra fuere agricolæ ex ſuperiori Palatini tractu, & ex vicina Bauaria tumultuarie collecti. Vienna quid potuiſſet ſubmitti, aut ex Auſtria, cum nihil militum ibi eſſet? Aiunt ad maximam indignationem adactum Valeſtenium, quod Aldringerus ſuo iniuſſu diſcrimini expoſuiſſet prouinciam, cuius defenſionẽ impensè ei commendarat, iuſſeratque, ne illinc, niſi vellet capitis pœnam adire, diſcederet. Ille tamen abiuit, vt maiori imperio pareret, Cæſareo nempe. Hic expoſtulare Fridlandiæ Dux, quod ea lege paſſus eſſet ſibi imponi ſupremi Ductoris munus, vt à ſuo nutu omnes penderent, extra ſua iuſſa ſub Cęſare militaret nullus. Nihil enim fieri poſſe in gerendo bello pernicioſius, quam ſi plures ſint militiæ Duces, quorum vnus neceſſe non habeat alteri morem gerere. Expugnatę interim Ratiſponę fama ad aulam Cęſaream peruenit, & hilaritatem ingentem, quam pepererant res non ita pridem in Sileſia geſtæ, infecit, turbidamque reddidit. Et verò Saxo ad incitas.

Valeſtenius iratus Aldringero.

tas videbatur denuò redactus, Brandeburgicus Berlino discesserat, Landsperga, Francofurteque expugnatis, Valestenianis prouincia parebat tota. Quas verò res Fridlandiæ Regulus sua dissimulatione, & celeritate in potiori statu collocauerat, easdem ad aliam conditione, ambiguamque lancem reuocauit Vinariensis. Erant qui contenderent obfuisse potius aduentu suo Cæsareis partibus Ducem Feriæ, quam commodum attulisse. Satius namque fuisse amitti Brisacum, quam iacturam fieri Ratisponæ. Sanè vrbis huius expugnatio maximo affecit detrimento Bauariam, effecit etiam vt necesse fuerit deinceps exercitu insidere Passauiam, Austriam, imò, & Bohemiam, quæ loca ante hanc cladem damna belli non ita sentiebant, nec militibus præbere sedem cogebantur. Ego verò nolim iudicium meum interponere, quando gemina suspenditur libra Brisacum, Ratisponaque. Nam satis est obsidij Ratisponensis euentum perstrinxisse, vt res tota cum superiori dissertatione componatur, atque Germanici belli magnitudo nobis magis ac magis innotescat.

damnum expugnatæ Ratisponæ.



DE RATISPONA RECVPERATA

Anno M. DC. XXXIV. XXVII. Iulij.

LECTORI.

QVia & superiori narratione recensui occupatã fuisse Ratisponam, & deinceps qua ratione à Serenissimo Vngariæ Rege fuerit recepta, dicam, visum est, de vrbe illa nonnulla scitu digna paulò altius repetere, quæ lector, pro tua humanitate æqui consules.

Ra-

Atiſponam à ponendis ratibus dixere, quod ad Danubium poſita accipiat multas naues, imò & rates vtcunque ex rudibus lignis conſutis conſtantes, quæ ex Sueuia deferuntur vehentes varia. Germani à fluuio, qui apud vrbem hanc influit in Danubium, nomenque amittit, appellamentum ei indiderunt, vt dicatur Regenſpurgum, quod nonnulli latinè vertunt Reginoburgum, nam fluuius ille aut Regus, aut Regino eſt nuncupandus. Quam ſit antiqua Ratiſpona non auſim dicere. Satis verò conſtat vniuerſam Germaniam, antequam armis Romanorum oppugnaretur, fuiſſe, vt Tacitus loquitur, *paludibus fœdam, & ſyluis horridam*. nullas, profectò populi illi vrbes habitabant, imò nec ſedes inter ſe iunctas patiebantur. Colebant diſcreti, ac diuerſi, vt fons, vt campus, vt nemus placuiſſet. Vicos autem locabant non connexis, & cohærentibus ædificijs. Suam quiſque domum ſpatio circundabat, ſiuè aduerſus caſus ignis remedium, ſiuè inſcitia ædificandi. Ergo ſub Auguſto, & Tiberio coloniæ illuc cœpere deduci,

Ratiſpona vnde dicta.

lib. de mor. German.

qua-

quarum exemplo excitata Germanorum diligentia pulcherrimas condidit vrbes. E numero coloniarum extitiſſe Ratiſponam aliqui credunt, eiuſque originem imputant Tiberio, Tiberijque appellant Auguſtam. Quod an nitatur locupletum teſtium auctoritate ego neſcio. Nihil certè eam in rem mihi repertum, longeque clarior apud ſcriptores extitiſſet eius fama, ſi eum Imperatorem habuiſſet conditorem. Magnam verò Ciuitas hęc adepta eſt claritatem à maxima rerum cognitione, vitæque ſanctitate, qua Albertus Antiſtes Sacrorum polluit. Sixtus Senenſis in ſua Bibliotheca, eũ ſubinde Archiepiſcopum nominat. At Ratiſponenſes Antiſtites, & Pontifices non Archiepiſcopi, ſed Epiſcopi ſunt. Fuit autem Albertus ex ordine Prædicatorum, natione Sueuus ex oppido Langigenſi, vir admirandæ doctrinæ, ſublimibus ingenij ac memoriæ viribus vſq; ad miraculum præſtans, in diuinis ſtudijs longe eruditiſſimus, & Philoſophorum omnium, quos vel ante, vel poſt eum vniuerſa Germania protulit, princeps, ob eximiam ſcientiarum multitudinem, magnitudinemque MAGNI cognomen, quod nulli vnquam eruditorum contigit,

Ratiſpona, an Colonia?

Alberti Magni laus.

tigit, ante mortem adeptus. Docuit multos annos peripateticam philoſophiam,& Scholaſticam Theologiam in florentiſſimis Agrippinenſium & Pariſiorum Academijs, in quibus inter alios egregios auditores Thomam Aquinatem diuinæ indolis, & præſtantiſſimi ingenij diſcipulum habuit. Creatus deinde eſt Epiſcopus Ratiſponenſis ab Vrbano IV. tempore Rodulphi Imperatoris. Verum aliquot poſt annis reuerſus eſt ad veterem ſtudiorum conſuetudinem, obijtque Coloniæ Anno M.CC.LXXX. quod verò Archiepiſcopum nonnulli exiſtimarunt eſſe præſulem Ratiſponenſem, id ideò forte factum, quia is nullius Archiepiſcopi iuriſdictioni ſubeſt, quod etiam dici debet de Pabepergenſi, & Riſnenſi. Cæterum dum Epiſcopus Albertus memoratur, nolim quemquam exiſtimare ideò non eſſe antiquiorem Epiſcopatum illius vrbis. eſt enim valde antiquus. Aliqui profectò putant vetuſtiorem eſſe Caroli Magni temporibus, alij tamen narrant ab eo imperatore pietatis ſtudioſiſſimo fuiſſe inſtitutum. At iam extitiſſe antequam imperaret Carolus videtur ex eo poſſe probari, quia Eberhardus Epiſcopus Ratiſponenſis

obitus Alberti Magni

nensis ante tempora Carolina vixit. Adeò autẽ latè patuit olim huius Episcopi iurisdictio, vt tota Boemia ei pareret, donec Archiepiscopatus Pragensis fuit institutus. Omisso Episcopatu non desunt alia, quæ vrbem reddant insignem. visitur ibi pons supra Danubium constructus ex perpetuo lapide quadrato, complectiturq; quatuordecim arcus. Est verò opus illud tanti roboris, tamque solide flumini infixum, vt quamuis verno tempore soluta glacies (sæpe namque gelu duratur fluuius) prope immensis frustis impetat, & vrgeat molem, illa tamen immota maneat aduersus impetum, à quo non solum non superatur, sed ipsa retundit, & effringit in multas partes spatia immania glaciei. conspicitur etiam in vrbe summum templum pulcherrimi operis. Totum enim constat ex cæso, & affabrefacto lapide. Sed desunt duæ turres, quæ vtrinque in area construendæ erat, vt moles diceretur consummata. Eæ fuerunt omissæ, quod Architectus, vt aiunt, se ex fastigio templi pręcipitem dederit. Id ideò perpetratum asserũt, quod facta fuisset commissio inter structorem pontis, & ipsum. vt qui prius pensum sibi demandatum absoluisset, in

pons Ratisponæ.

alte-

alterius vitam ius vitæ, & necis haberet. Cum itaq; hic animaduerteret ponté esse perfectum, videretq; quid sibi ab æmulo immineret, vltro mortem occupauit. Quid verò dicemus de Comitijs Germanorum, quæ ferè semper Ratisponæ celebrantur? Vrbis situs percommodus effecit, vt hæc consuetudo obtineret. Habet vicinam Boemiam, attingit Palatini ditionem, est in Bauaria; ex Tirolensi tractu, & Sueuia per Renum & Danubium facilè ad illam quis deuehitur. Ab Austria etiam aduerso flumine subuehitur vinum, aliaq; adportantur. Augusta, Noriberga, ex Franconia facilis est transitus. Ignorandum autem non est, iam olim viguisse morem habendi conuentum, ex toto Imperio, quod discere est ex Authore, narrante res gestas Friderici cognomento Ahenobarbi, qui anno M. C. LIV. renunciatus est Imperator. Is itaq; ordines Germaniæ non semel illuc conuocauit. Audiamus Poetam. *lib. 1.*

de Comitijs Ratisponensibus.

Inde Ratisponæ vetus ex hoc nomen habenti
Quod bona sit ratibus: vel quod consueuit in illa
Ponere nauta rates, hac Noricus vrbe ducatus
Præcipua gaudet: Solemnis curia certo
Tempore mandatur.

Ex quibus verbis conſtat etiam ante tempora Fridrici ſolitos illuc conuenire proceres. illud verò difficultate non caret, qood ait eam eſſe pręcipuam in ducatu Norico. At hodie in circulo Bauariæ collocatur. verum nouum non eſt immutari limites regionum, quod innumeris exemplis manifeſtum facere liceret, ſi hoc ageretur. Eodem libro ſic canit Poeta, vt illa tempora erant, bonus:

Tempore mox alio rurſum reuocata potentum
Turba Raptiſponam, ſtudio tentauit inani
Pace reformata longam compeſcere litem.

Et lib. VI.

Inde Ratiſponam Princeps & publica regni
cura vocat Proceres.

Iam toties apud recentiores hiſtoricos Ratiſponenſium comitiorum leges ſucceſſum. Cum autem hoc honore fulgeat, vt illuc conuocentur Germaniæ ordines, mirum non eſt ſi ſemper dedit operam vrbs, vt ſe morigeram præberet Cæſari, neq; vlla ratione eius iram prouocaret. Cum temporibus Caroli Quinti tota prope Germania claſſicum caneret Religionis cauſa, Smalcaldicoq; inito fœdere militem colligeret occurſura Imperatori, Ratiſpona

non

non ſolum fœderatis illis ſe non iunxit, ſed & commodam præbuit ſedem Cæſari, qui certè potuiſſet à ciuibus tunc circumueniri, cum ſola maieſtate nixus illic ſe contineret, donec ex Belgio, Italia, & aliunde approperarent copiæ. Aliquot etiam abhinc annos cum itidem Proteſtantes conferrent capita, Vrbs hæc nihil eiuſmodi molita eſt. At præſidio ſe muniuit non magno, cum Donauerda à Duce Bauariæ fuiſſet occupata. Ab illo enim Principe ſemper ſibi timuit, cum ipſius ditione vndique circumdetur. Gliſcente autem bello inter Imperatorem Ferdinandum Secundum, & Fridericum Palatinum nec nummos, nec milites contulit in ſocietatem eorum, qui abſentem Palatinum non videbantur paſſuri in ordinem redigi. Paruit igitur nutui, iuſſiſque Cæſareis. Cum verò Guſtauus Rex Suecię tranſgreſſus Albim, Tillio non paruum faceſſeret negotium, ac iam Franconiam ipſam teneret, terroremq; Electori Bauariæ incuteret, tentata eſt vrbs, vt milites præſidiarios ex Bauaria acciperet. Sed illa conſtanter renuit, profeſſa ſe ſuis armis tutam fore. Sed tandem cum vicini eſſent Sueci, tria vexilla ei impoſita fuerunt ab Electore,

De expostulatione ciuiũ vide Histor. Petri Pomi

qui totam tandem in ſuam redegit poteſtatem. Meum iam non eſt expoſtulationem Ciuium expendere. Facient hoc, qui texent hiſtoriam integram rerum Germanicarum. Expugnata poſtmodum eſt à Duce Vinariæ Bernardo, quod à me ſingillatim eſt deſcriptum. Cum verò detentio ampliſſimæ Ciuitatis mirum in modum incommodaret Auſtriæ, Bauariæ, & ipſi Boemiæ, poſt necem Valeſtenij, Sereniſſimus Pannoniæ Rex faciendum ſibi putauit, vt primam expeditionem ſuſciperet ad depellendos Suecos Ratiſpona. Ingentem exercitum ei admouit menſe Iunio. Sed paulò ante Ducibus Galaſſo, & Aldringero Camum, & Strubingam occupauerat, vt hac ratione ad obſidioné ſibi viam ſterneret. Adfuere etiam circumuallandæ vrbi cohortes Bauaricæ, abſente tamen ipſo Electore. At Dux Vinarienſis Bernardus vſus celeritate, dextroq; Marte Danubio pontem, & vrbi, antequam planè circumdaretur, aliquot vexilla militum impoſuit, & commeatus non contemnendam copiam, defenſionemque totam Comiti Turrio commendauit, ſeq; recepit in Franconiam. eruperunt frequenter obſeſſi in caſtra Regia, pugnę vtrin-

que

quę extitere cruentæ. tormenta assiduè exonerabantur vtrinque. Sed præcipuè ex castris assidua erat mœnium, & propugnaculorum verberatio, inter quę cum facilè principem locũ illud obtineret, quod constructum erat Hosij, vt muniret, & tueretur lapideum pontem, illuc potissimum & torquebantur ęneę glandes, & fiebat impressio. Post multa certamina inita tam è regione Danubij, quam à parte qua tota est vrbs cincta fossa, tandẽ adminiculo nauium, quibus multæ copię vehebãtur, occupata est Insula, quã medius respicit pons. Hinc cæpere animi obsessorum nutare. expugnata etiam sunt alia munimenta ad latera Ciuitatis terrestria. firmissimo vallo sic se muniuerant Cæsareani, vt auxiliares copiæ Suecorum non viderentur posse accedere, nisi vellent in præsens se conijcere exitium. Defensores quoq; vrbis pauciores incipiebant esse, quam vt tot locis iam fere patentibus defendendis possent sufficere. Et quod præcipuum erat, pulueris, & commeatus, quo pugnatur à militibus, ea erat inopia, vt vna non amplius, posset sustineri, & depelli impressio. quis verò futurus erat exitus, si deinceps adminiculo adeò necessario destituerentur? Vigesima

Pulueris copia deest obsessis.

maquinta igitur Iulij cœpit agi de cõditionibus, quibus parati eſſent vrbem dedere, cumq; tranſſactum foret, & Cæſareani pernoctarent in nõnullis munimentis, ſequenti die Rex Vngariæ vrbem eſt ingreſſus. Deditio honorificis facta eſt conditionibus, vt more militari excederent Sueci, expanſis vexillis, ſonantibus tympanis, reculas militum vehentibus curribus, non pauca alia complectuntur pacta, quæ typis edita ſnnt Germanica comprehenſa lingua, quæ ſi otium eſſet, latinè verterem. Ità res maximi momenti, quam ſuſcepit Rex, feliciter ceſſit, quæ tamen non caruit mœrore, vt mixtura eſt rerum humanarum. Nam, ne dicam de tot alijs fortibus viris, qui in obſidione interierunt, occubuit in caſtris Sereniſſimus Franciſcus Etruriæ Princeps, Magni Ducis frater, Iuuenis viuidi ingenij, ad omnem virtutem tantis natalibus dignam factus. is excitatus veræ gloriæ amore, delitias, quibus frui domi poterat, poſthabuit labori, profectus in Germaniã militaturus pro Auunculo eo tempore, quo res afflictæ victorijs Regis Guſtaui inclinare videbantur. Non diu poſtquam venit in caſtra res eò deducta eſt, vt de rerum ſumma certandum fuerit aperto in

cam-

campo cum hoste tot felicibus successibus feroci. In quo quidem conflictu, quo nullus ab hominum memoria fuit acrior, obstinatiorque, dum Princeps rem fortiter gerit ibi locorum, vbi maius erat periculum, sensit equum suum exanimatum ictu plumbeę glandis è magno tormento emissę. ò fortunatam calamitatem! ò præclara bellicæ disciplinæ initia! Quibus tamen insidias struxit, vt in rebus humanis omnia sunt suspecta, vafra mors. contagione enim castra Regia carpente Iuuenis diuturna vita dignissimus lacessitus, inuasusq; à morbo, intra biduum ereptus est non sine ingenti totius exercitus, ac præsertim Regis, qui ipsi sanguine erat coniunctissimus, dolore. Obitum immaturum egregijs Orationibus, & versibus deplorabunt ingeniosi Academici Florentini. Ego quoque versiculos exaraui, quos visum est huic narrationi subiungere. Memoretur interim Magni Ducis Ferdinandi Secundi ingens affectus in rem Catholicam Germanicam, dum non solum sumptus suppeditat ad gerendum bellum, sed & militari dextra suorum Fratrum Cæsaris hostes oppugnat.

Serenis. Franciscus ab Etruria cõtagione correp- tus moritur.

versiculos lubuit reijcere inter carmina inferius collocanda.

DE

De Renouandis Studijs

PRÆFATIO

IN GYMNASIO

PISANO,

recitata in magna aula An. M.DC.XXX. Cal. Nouemb.

Cum contagio lacesseret vrbem.

Illu-

Illuſtriſſimo Viro

ANDREÆ CIOLO.

Senatori Florentino, Equitum Balliuo,

Sereniſſimi Magni Ducis Primo Status Secretario.




AErent ſemper animo literæ, quas de me tibi exarauit tres abhinc annos Vir ſingulari pietate, doctrina, et prudentia tota Europa, & orbe Chriſtiano notiſſimus Mutius Vitelleſcus Societatis Ieſu præpoſitus Generalis. Illis namque ſic vſus es in rem meam, vt à Sereniſſimo Magno Duce ad publicam profeſſionem in Gymnaſio Piſano accerſitus fuerim. Quemadmodum autem inde res meæ incrementum

cœperunt: ita ſoleo ſummopere extollere tuam erga me beneuolentiam; atque vt magis mihi ipſi ſatisfaciam in limine huius Præfationis, quæ nunc prodit, publicè, quantum tibi debeam, teſtatum facio. lubenter vero adderem tuorum meritorum erga Sereniſsimos Magnos Duces, totamque inclitam Etruriam, commemorationem, niſi ſcirem panegyrico potius opus eſſe ei, qui id conaretur facere, quàm breui Epiſtola, niſi etiam vererer, ne offenderem moderationem animi tui, qui ſic ciuilium virtutum perfecto numero cum placidiſsimis moribus es inſtructus, vt malis eſſe, et agere, quam videri, & laudari. Dabam Piſis Cal. Ianuar. M. DC. XXXI.

Illuſtriſſimo tuo Nomini

Obſtrictiſſimus Seruus

Paganinus Gaudentius.



PRÆFATIO IN GYMNASIO PISANO.



ON multi numerantur dies, Auditores humanissimi, quando anxiè de Studijs hoc anno nostro in Gymnasio renouandis, quærebatur. Et quidem plurima vltrò citròque prolata erat audire, vt quiuis quãtumuis prouidus cogeretur hæsitare. Quos spes cupidos excitabat, eosdem timor trepidos deijciebat. Hinc quod desiderabatur se probabilibus insinuabat rationibus, illinc impendens dilatio, quidquid erat conceptum, excutiebat: & vt nauis aduersos experta ventos, dum obliquo labore nititur vim superare, & portum petere, nunc progredi, nunc retrocedere videtur:

ſic & nos quotquot de reditu ad Academicas exercitationes ſolliciti viuebamus, quia non pauca obijciebantur, quaſi certa ſtatione deſtitueremur, querebamur. Noſtis morem famæ, Auditores, ſolet omnia, quæ ſibi credita fuerint ſiue læta, ſiue triſtia augere, & plurimis inuentis in immenſum extendere. Sed grauia auditu potiſſimum ſibi putat amblificanda .& neſcio quomodo fiat, vt mortales opinionem calamitate maiorem, & ſæpius repoſitas querimonias ſuarum cladum velint eſſe additamentum. Eo igitur ferebantur crebriores ſermones, illuc pleræque deuoluebantur cogitationes, in eam partem inclinabant coniecturæ, vt meliora in tempora differandas eſſe profeſſorias prælectiones ominarentur. A remota vetuſtate in memoriam nobis reuocabant, quod Romani, hominum, qui vnquam fuerunt, ſapientiſſimi, vbi publici mœroris tempeſtas ingruiſſet, indicto iuſtitio, domos claudebant, fora deſerebant, vadimonia relinquebant, veſtem pullam ſumebant, omnia deniq; ad triſtitiam conponebant. & quando vnquam Italiam ſæuiora fata vrſerint, quando felicitate digniſſimam regionem facto velut agmine tot acerbitates

De more famæ.

bitates

bitates inuaserint, concusserint? nam quam partem præterierit, & illæsam reliquerit lamentabilis vexatio? Ligures vt quiescere dicantur, sumptus facere in alendis militibus, nescios quid serus vesper ex vicinia possit adferre. Rẽpublicam Venetorum aut dolere vices suarum ciuitatum, quæ cum lue couflictantur, aut ex propinquitate Germanorum sentire molestiam & inter bellum, & pacem degere inuitam. confinia Pontificiæ ditionis aut carpi morbis, aut copijs insideri. quanto vero in squalore iaceat Mantua, & suum lugeat agrum direptum. Casalẽses post duplicem obsidionem valde incertos adhuc esse, cui sint parituri. quid futurum de Segusio, de oppidis ad Eridanum, an ibi diu hæsuri potentissimorum regum bellici apparatus, ad huc discendũ à longa forte die. ac ne externa affectato luctu memorentur, Tusciam immota quidem pace frui tranquillam, sed alicubi iam grauibus morbis lacessi, & primariæ vrbi metuere. Inter hæc an quærendæ litterarum amœnitates, an lætis applausibus frangenda subsellia, an de quæstionibus iucundæ instituendæ dissertationes? an quærendum cum Philosophis de cœlestis motus perennitate, quan-

Calamitas Italiæ breuiter describitur.

do in

do in terris instabiles trepidamus, & tollendi oculi ad sidera, quando vix locus suppetit, vbi pedem figamus? an cum Iureconsultis de familia erciscunda, de communi diuidendo disputandum, quando quotidie vi metuque mortis non paucos ex domicilio expelli oculis vsurpamus? an quasi fallentes tempus cum Galeni discipulis de calore innato, de quatuor humorum commixtione, de naturæ artificio in contexendo corpore litigabimus, quando potius ad perniciosa contagia eliminanda omissis verbis opere est accurrendum? an vndique conueniendum, & velut comitia cōuocanda studiosorum, quando ne commercij quidem causa, si fieri posset, esset colloquendum? plura etiam iactata meminimus, quorum prolixior recitatio nimiam vestris sensibus iniungeret patientiam. quæ eo vsque, ne quicquam dissimulem, progrediebantur, vt aliqui aut aliena, aut superuacanea cura præcipites, nescio quid de stipendiorum pensitatione cunctanter mussarent. vt præmia opus comitantur, ita per res prolatas non videri largitioni fore locum. quod enim milites mereantur siue pugnent in hostem, siue per inducias intra hyberna degant, id dissimi-
lius

lius esse, quam vt desidi togæ possit prodesse. nam ne eo quidem tempore, quo expeditio nõ suscipiebatur, Romanorum in castris aut omissa pugnarum imitamenta propè quotidiana, aut neglectas munimentorum excitationes, tantum ne torpor subiret paulatim incautos. vt verò de re familiari meticulosæ protinus reijcerẽtur voces, illud animum subinde cruciabat, ne consuetudinem cogeremur intermittere docẽdi. quid, quæso vos, molestius fuisset, quam scholasticis deductionibus aliquandiu carere? quam mensibus æstiuis silendo iungere hybernos, aut quod iugi meditatione erat collectum, & in commentarios relatum, intempestiua vacatione amittere? viri profectò qui sunt nullum desidia sentiunt esse laboriosius negotium, nullam mordaciorem curam, quam cura carere; qui si solatium præsentissimum reperiunt in labore, lancinantur, & torquentur quando per ignauiam tempus coguntur traducere. quid verò sanctius, quid innocentius doctrinarum tractatione? quid suauius, quam, si quid feliciter est excogitatum, id ingeniosæ tradere iuuentuti, & sui memoriam apud eos, quibuscum non vulgaria communicantur monita, relinquere sem-

re sem-

re ſempiternam? ſtruant alij pario de marmore monumenta, incidant æri longos titulos, magnifica dedicent ædificia, vt nomen ab obliuione vindicent, ſi interim diſciplinis qui lucem inferunt, & egregios adoleſcentes ad arcana ſcientiarum deducunt, in animis hominum imagines ſibi ponant pulcherrimas. dum vero dubij nunc nobis quaſi gratulamur tãquam ituri, mox velut mãſuri contrariam in partem retrahimur, dum cum expectatione mali, quæ malo ſępe eſt grauior, congredimur, de repente exorta ſummæ auctoritatis lux, formidoloſam moræ diſiecit obſcuritatem. nubeculæ ſollicitudinis noſter animus erat intentus, quam ſol Etruſcus, cœleſti quam ſimillimus illicò diſſoluit. generoſa nempe indoles. quę in Sereniſſimo Magno Duce à pueritiæ annis eluxit, nunc robore iuuentutis firmata, poſtquam regiminis ſumpſit habenas moderandas, inſignia edit virtutum ſpecimina, vt iam nunc ſapientes homines non incerto iudicio augurentur fore, vt parentum, auorumque ſuorum gloriam ſit æquaturus, aut etiam ſupergreſſurus. nam, ne à ſuſcepto ſermone inſtaurationis ſtudiorum digrediar ad alia, quæ quotidie, vt ſuarum vrbium ſaluti conſulat

Sereniſs. M. Dux iubet renouari ſtudia, inſuper habita contagione.

ſulat

ſulat gerit, vt, inquam, quod dicere ſuſceperam, proſequar, quam expeditum, quam benignum ſe præſtitit, poſtquam celeberrimæ huius Academiæ Proſpectorem accuratiſſimum, Virum, & doctrina, & magno vſu rerum præſtantiſſimum, totius noſtri ordinis peramãtem Hieronymum à Sommaia audiuit referentem. ſtatim ſingularis beneuolentiæ erga ſedem liberalium literarum dedit non vnum argumentum. quale illud ſilentio non poteſt præteriri, quod Galuano, quem qui rectè nouit non poteſt non magnifacere, Pandectarum expoſitionem rectiſſimo conſilio iuſſit deferri, vt deſiderium, quod nobis Accariſij immatura, & lacrymis digniſſima mors reliquit, non leuiter temperetur. quod vero, Auditores, me indulgentiſſimus Princeps in Collegium Iuriſperitorum præcepit cooptari, id eiuſmodi eſt, vt ſi dum publicè dico, diſſimuletur, benignitatem largientis videar deterere, ſi narretur, proprij commodi inuidiam in caput meum deriuem. quæ verba ſuppetent, quibus vtrumq; ſcopulum declinem, & inoffenſo curſu incedam? ita mihi ſumam audaciam, vt iactantiæ apud æquos iudices notam ſperem poſſe vitari. vltrò agnoſco, palamque

M. Aurelius Galuanus Pãdectarũ interpres eruditiſſimus, & ſollertiſſimus.

G recen-


recenſeo, ingenij mei nullam eſſe vim, in ſtudijs exiguum profectum, infantilem eſſe ſermonem; conatum infra huius ſedis faſtigium poſitum. at negare non poſſum, quod vobis notiſſimum eſt, meam in peruolutandis bonis exemplaribus, in commentando operam eſſe aſſiduitatis plenam. Quo magis miror reperiri quoſdam, quos in nullo non ſcriptore hoſpites noui, qui nonniſi vulgaria, & in triuijs decantata promunt dicta & infeliciter vſurpant, quos Muſæ nunquam ad ſua ſacra admiſerunt, miror, inquam, quod conentur affanias ſuas obtrudere, & meis auribus quaſi peregrinum aliquod adferant, exiſtiment ſe poſſe obrepere. Quibus miſſis factis, ſi meam in verſandis libris occupationem voluit ſua auctoritate prouehere iuſtiſſimus Princeps, vni ingens beneficium acceptum refero, vni grato animo gratias rependo, gratulorque omnibus illis, qui de promouendis ſtudijs, de augenda antiquiſſimæ ſcholæ gloria ſuſcipiunt ſollicitam meditationem. Habemus Principem, excellentiſſimi doctores, qui nouit exactè quid vnuſquiſque præſtare queat, paratuſque eſt diligentiam, alacritatem remunerari. Scitis quantam liberali-

tatem

tatẽ elapſo anno erga multos profeſſores exercuerit; & nuper non eſt paſſus quicquam eorũ, quæ ad rem facerent,omitti. cum tamen plurima impendat,dum alimẽta innumeris familijs, quæ paupertate premuntur,ſuppeditat.dum tot extra ordinem militãtibus mercedem largitur, qui excubias agunt, ne peſtiferi morbi latius graſſentur.quod ſi tot inter difficultates non ſolum Gymnaſium non negligit,ſed tuetur,ſed ſaluũ,& incolume ſeruat,nouis Doctoribus inſtruit quid dicemus facturum, quando nubes hæc trãſiuerit,quãdo ſublato cõtagionis timore priſtina ſecuritas vrbibus,oppidis frequẽtia reſtituta dicetur? quando æquabili tranſactione paci in vniuerſa Italia fuerit conſultum, & ſuum agris longè latèque reddetur decus? nulli poſſumus dubitare,quin pręclariſſima quęq;ab eo,qui veræ gloriæ cupidiſſimus eſt, ſint expectanda. ergo,quod ſupereſt,egregij Profeſſores,voſq; optimæ ſpei Iuuenes,dum optatum ad curriculum reuertimur,immortale numẽ,cuius arbitrio omnia reguntur,ſupplices rogemus,vt optimi Principis faueat conſilijs,eumq; quã primũ votorum ſuorũ,quibus non minus populorum in Etruria, quã ſui ipſius incolumitatẽ proſequitur,compotẽ faciat.Dixi.

DE
EPIDAVRO LIBVRNIAE,
ET
PELOPONNESI,
De Ragusio, & Ragusina Republica.

DISSERTATIO.



Illuſtriſſimo Viro

SEBASTIANO CELLESIO

SENATORI FLORENTINO,

Magno Duci a Conſilijs

Paganinus Gaudentius S.P.D.




Xarraueram carmen, Vir amplisſime, in obitum THOMAE CELLESII, fratris tui, cum animaduerti non ſatis diſtinctè loqui nonnullos ſcriptores, de Epidauro cum ſermo eſt. quam obſcuritatis nebulam vt depellerem, in manum sumptis veterum libris, de eo argu-

mento

mento suscepi disceptationem, atq; id, quicquid est, sub apertam lucem, nisi maximè fallor, protuli. Cum vero funebres versus typis tradere, atque evulgare constituissem, lubuit in eorũ antecessu diatribam ponere de Epidauro, cui tuum nomen ea etiam de causa præposui, vt tibi grates gratiasq; agerem, quod nuperæ controuersiæ ea qua polles auctoritate, et prudentia, finem imposueris, effecerisq; vt qui hactenus certarunt inter se officijs, nunc quoque animis, & mutua beneuolentia sint coniunctissimi. Deus te, Illustrissime Domine, diutissimè sospitet, atq. superstitet, vt ex tua incolumitate decus, incrementum, & gloria ad celeberrimum Gymnasium Pisanum, cuius curã tibi summo cum omnium approbatione demandauit Magnus Dux, quotidie magis, ac magis redeat.

De





Epidauro vt ſingillatim agamus, ignorandum non eſt fuiſſe quondam inſulam hoc nomine dictã, quæ tamen deſijt eſſe. Sed num abſorpta eſt? nõ id eſt exiſtimandum, ſi audimus Plinium, vbi enumerat inſulas, *lib.2.cap 89.* quæ continenti ſunt adiunctæ, atq; in fine capitis ſcribit: *Epidaurus, & Oricum Inſulæ eſſe deſierunt*. conſuluiſſet Geographiæ Plinius, ſi dixiſſet, vbinam ſita fuerit hæc inſula, vt ſciremus cui terræ coaluerit. Lucanus videtur eam col- *lib. 2.* locare Illyrico in mari iuxta Dalmatiam:

--------------- *ſeu vela ferantur*

In portus Corcyra tuos, ſeu læua petatur

Illyris, Ionias vergens Epidaurus in vndas.

verum ex verbis Lucani non licet certò colligere, fuiſſe Epidaurum inſulam: potuit enim in-

nuere

nuere vrbem, vbi eſſet portus, quo vela ferri poſſent. Aliqui ad indicandam inſulam tra- *lib. 3. Georg.* hunt verba Virgilij:

Domitrixq; Epidaurus equorum.

Sed Seruius aliter interpretatur, dum inquit: *Epidaurus Epiri Ciuitas eſt, equis nobiliſſima.* Sanè in Liburnia collocat Epidaurum vrbem Pto- *lib. 3. ca. 22.* lomæus. idem facit Plinius: *A Narone*, inquit, *amne C. M. paſſ. abeſt Epidaurum Colonia.* aliqui verò legunt: Epidarum colonia. ſub finem tamen capitis rurſus meminit Epidauri: *Lißum*, ait, *Oppidum ciuium Romanorum, ab Epidauro C.* *lib. 48.* *M. paſſuum.* Dion quoque meminit huius Epidauri, vbi narrat apud Epidaurios, tumultum coortum, quem tamen Pollio, factis aliquot prœlijs compeſcuit. Eoſdem Epidaurios vocat Parthinos: καὶ ἐπιδαυρίοις τοῖς παρθινοῖς licet *ibid.* nonnulli libri habeant: ἐναυρίοις Plinius in Liburnia recenſet hos populos, quos tamen appellat Parthenos: *Præter hos*, inquit, *tenuere tractum eum Oenei, Partheni, Hemaſini*: & cap. ſequenti. *A Liſſo Macedonia Prouincia, gentes Partheni.* quę cum ita ſint, ego verba Lucani, & Virgilij non de alia Epidauro intellexerim, quam Liburnica. Volaterranus

putat

ranus putat hanc Epidaurum Limiram appellatam fuisse à Pausania,& Strabone. sed diuersam esse Limiram Epidaurum, postea manifestis testimonijs ostendemus. fuerit ne hæc vrbs Colonia Romanorum? video quæri. affirmat idem Volaterranus. alij in Plinio legunt; *Epidarum colonia*, vt Epidæ eam condiderint. At quinam sint isti Epidæ nescio. sanè vulgati còdices Plinij habent Epidaurum Colonia. vnde facilè foret colligere fuisse Romanorum coloniam, præsertim cum Plinius alia Romanorum oppida ibidem collocet. non desunt tamen qui contendant legendum in Plinio ita, vt fuerit Epidarum colonia. hanc Epidaurum dirutam fuisse à Gothis tradit Volaterranus, è cuius ruinis ædificata fuerit Ragusia, quod vnde sumpserit, nescio. nullus tamen est qui dubitet Liburnicam Veterum Epidaurum esse, Ragusium. Ortelius existimat eam à Turcis vocari DOBRONICHAM. Supra trecentos annos Respublica est, & gaudet libertate. nam Agusta, quæ vicina est Insula, anno 1310. subijt Epidauriorum imperium, teste Mauroceno. vtut verò libera sit *lib. 16. histor.* Ragusiũ, tributum tamen soluit Turcarum Imperatori, quæ causa est, cur Veneti ei non fue-

rint molesti, ne scilicet indignationem magni Domini prouocarent. ideò quoque cum Agustani, qnorum Insula hodie Curzolæ vicina est, Epidauriorum imperium excutete summopere cuperent anno MDCII. seq. in Venetorum ditionem dedere, reiectæ fuerunr ipsorum preces, vt idem Maurocenus narrat, qui ad annum MDLXXII. annotat, quod transeunte Veneta classe Epidaurij maximè trepidarint, mænia custodijs militum compleuerint, portas clauserint sublicios pontes sustulerint, atque se velut ad hostium impetum compararint: verùm vanus fuit metus. cum (si eidem historico credimus) ex prisco Reipublicæ instituto non propagandi imperij ambitio, neque viribus impares subijciendi ardor Senatui vnquam obrepsissent. Atq; hæc de Liburnica Epidauro dixisse sufficiat. nunc Peloponnesus nos vocat, vbi duæ Epidauri à scriptoribus constituuntur. ad sinum Saronicum Plinius vnam collocat. *A Scylleo*, inquit, *ad Isthmum CLXXVII. M. pass. portus Chænites, sinus Saronicus, in eo Epidaurum oppidum.* At paulò ante aliam Epidaurum cognominatam Limeram recenset, aitquè esse in sinu Argolico, vbi etiam est Boea oppidum, Zarax, Cyphanta

antiquũ, Reipublicæ Venetæ institutum.

lib. 4. cap. 5.

portus,

portus, amnes Inachus Erasinus, vt dubitare nefas sit duas esse in Peloponneso Epidauros. Neq; est quod quemquam turbet, quod Mela vnam tantum memoret, cùm breuiter situm orbis perstringat, & non pauca omittat ex vberioribus aliorum commentarijs petenda. sed distinctius agamus de vtroque oppido. quod est in sinu Argolico ferè semper addito cognomine Limerę profertur à scriptoribus, vt eadem sit Limera, & Epidaurus Argolica. Thucydides vbi alterius facit mentionem simpliciter Epidaurum dicit absq; additamento. At alteram Limeram Epidaurum appellat: *Et primum partē Limeræ agri Epidaurici depopulati sūt.* lib. VI. ἀποβάντες εἰς ἐπίδαυρον τὴν λιμηρὰν vbi tamen visus est interpres distinguere à Limera Epidaurū: ingressi Epidaurū Limerā sunt depopulati. Nisi fortè nomine Epidauri acceperit totū agrū Epidauriorū, qui tamen nomen accipiebat à præcipuo oppido, quod Epidaurus dictum etiam Limeræ nomen ferebat idem sic coniungit: *Athenienses erecto trophæo in Cythera abierunt, atq; inde in Epidaurum Limeram.* alteram Epidaurum simpliciter, vt dixi, effert. *vbi peruentum est in Epidaurum Peloponnesi vrbem. contigit vt Epidaurij*

lib. 2. cap. 3. — *lib. 7.* — *lib. 4.* — *lib. 2.* — *lib. 5.*

agrum Argiuum incurrerent. Carebat vrbs mœ-
ibid. nibus more regionis, id traditur: *Aduersus Epidaurum contenderunt, expugnatamque vrbem muro cinxerunt.* Erat valdè munita à natura teste
lib. 8. Strabone, in ipso Saronici sinus recessu intimo stad. XV. circuitum habens, nauigationem in æstiuos prospectans ortus. excelsi verò vsque ad mare quaquauersũ montes includunt, vnde omni ex parte naturale munimen habet. Dores fuerunt Epidaurij, propterea Dorici generis etiam censebantur Æginetæ, ab Epidauro profecti, vt testatur Herodotus in Vrania. Eadem vrbs vna erat ex septem constituẽtibus Amphi-
lib. 8. ctyonum conuentum, narrante Strabone. celebritatem autem est consecuta ex templo Æsculapij, qui quod censeretur sanare morbos, multos mortales attrahebat. de templo sunt verba
eod. lib. 8. Strabonis ex versione latina; *Erat vero templum ægrotantium multitudine vsquequaque refertum, pendentibusque tabellis; in quibus sanati languores erant inscripti.* Solebant in eo templo pernoctare, & captare somnia, ex quibus de sanitate de optinenda iudicium facerent. respexit Per-
sat. 2. sius.

nam fratres inter ahenos,

Som-

Somnia pituita qui purgatissima mittunt,
Præcipui sunto, sitq; illis aurea barba.

frustra sunt qui fratrum ahenorum nomine accipiunt Castorem, & Pollucem. absquè dubio de Æsculapio hoc intelligendum. At plurium numero vtitur poeta. præcipuè igitur de Apollinis filio intellexit, & de ipso etiam Apolline. nam alij addiderunt Isidem, Ositin, ac Serapin, quos omnes post Æsculapium in somnis indicare morborum curationes credidit vetustas. de Serapide locus est apud Suetonium in Vespas: *E plebe quidam luminibus orbatus, item alius debili crure, sedentem pro tribunali pariter adierunt, orantes opem valetudinis, demonstratam à Serapide per quietem: restituturum oculos, si inspuisset; confirmaturum crus, si dignaretur calce cõtingere.* verùm de somnijs captatis in tẽplo Æsculapij apud Epidaurios extant apud Plautum in fabula, quæ fingitur euenisse Epidauri. sunt verba Lenonis:

Persius explicatus.

cap. 7.

in Curculione.

Hac nocte visus sum viderier
Procul sedere longè à me Æsculapium,
Neque eum ad me adire, nequè me magni pendere
visus est.

Et monet alter:

Hoc animum aduorte, pacem ab Æsculapio
Petas,

Petas, ne fortè tibi eueniat magnum malum.

dixerat antea:

Id ideo fit, quia hic Leno ægrotus incubat

In Æſculapij fano.

Id autem præ omnibus traditur a veteribus ad commendandum Epidauriorum Æſculapium, quod cum Romæ aliquando ſæuiret contagio, & denſaret funera, neq; modus reperiretur depellendi perniciem, inſpecti ſunt Sibyllini libri, compertumq; non aliter priſtinam recuperari ſalubritatem poſſe, quam ſi ab Epidauro Æſculapius eſſet accerſitus. paruerunt Patres fatidicis monitis, miſsiſq; legatis adduxere opitulatorem ſpecie ſerpentis apparentem. rem totam amplis verbis recenſet Valerius Maximus. Epitome Liuiana narrat li. XI. *cum Ciuitas peſtilentia laboraret, miſſis legatis, vt Æſculapij ſignum Romam ab Epidauro transferrent, anguem, qui ſe in nauem eorum contulerat. in quo ipſum numen eſſe conſtabat, deportauere.* Ouidius in eo diuerſus eſt à Valerio, quod Sibyllinorum librorum inſpectionem præterit, aitq. profectos legatos Delphos, interrogaſſe, qua ratione auuerruncari poſſet exitialis morbus? reſpondiſse Apollinem; templum Æſculapij petendum. iter idē

vid. lib. meum de Prodigijs ferè in princip.

lib. 1. ca. 8. nu. 2.

lib. 15. Metam.

poeta

poeta deſcribit, neque diſſimulat Antio egreſſum Æſculapium, ingreſſumque delubrum parentis. Antij namque colebatur Apollo. Sed Valerius memorat, quod prolapſus fuerit in veſtibulo ædis Æſculapij, & triduum ibi hęſerit. quod ſibi elegerit ſedem in inſula Tyberina vnà ſcriptores referunt Ouidius, Valerius; neque caruiſſe aduentũ Serpentis optato euentu profligata peſte. Ouidius.


& finem ſpecie cæleſte reſumpta
Luctibus impoſuit, venitq; ſalutifer vrbi.

Valerius: *aduentu ſuo, tempeſtatem, cui remedio quæſitus erat, diſpulit.* Cęterum, quid ſentiendum de eiuſmodi narrationibus, quid ſtatuendum de talibus morborum remedijs, quæ diuinitatis ſpeciem præ ſe ferre videntur apud gentes ſuperſtitione imbutas, iam pridem à grauiſſimis viris eſt expoſitum. Videſis lector Bellarminum. ſed nunc nobis ſufficiant, quæ proferuntur à Tertulliano in Apologetico contra Gentes: *Habent* (Dęmones) *de incolatu aeris, & de commercio nubium cæleſtes ſapere paraturas; vt & pluuias, quas iam ſentiunt, repromittant beneficì planè, & circa curas valetudinum, lædunt enim primò, dehinc remedia præcipiunt ad miraculum*

lib. 1 de Notis Eccl. cap. 14.

noua,

noua, siue contraria. Sapere paraturas in loco Tertulliani nihil aliud est quam nosse, quomodo parentur remedia. atq. significatum verbi
cap. 23. sapere retinet Italica lingua. non omittit idem doctissimus Afer dicere, quod *Æsculapius medicinarum demonstrator iussus à quolibet Christiano loqui*, spiritus ille se dæmonem esse confitetur.




IN

IN NATALEM

Sereniſs. Etruriæ Magni Ducis

FERDINANDI SECVNDI,

Qui incidit in Feſtum S. Bonauenturæ,
Narratio, An. M. DC. XXX.





AEC Superis electa dies, qua purior æther
Splendeat, & toto depellat nubila Mundo.
Quæ tantum terris gessit decus. Ite per astra
Pierides, cœloq; nouum deducite carmen.
Aut humili cantum, Diuæ, sine more ciete,
Aut tantam tacita lucem veneremur acerra.
Sed siluisse nefas. nostrum bona gaudia pectus
Concutiunt, stimulos vertit Pisæus Apollo.
Si quondam, quà se deuoluunt Tybridis vndæ
In mare Tyrrhenum, de prisca lusimus vrbe,
Nunc nos Arnus habet, totiesq; optata Camœnis
Otia largitur, suadetq; impellere Cyrrham,
Auspicijs, FERNANDE, tuis nunquã irrita Phœbo
Vota

Vota cadēt, nunquā deērunt ſua Numina Vati.
Fallor an huc Muſæ migrant Helicone relicto,
Et de Pierijs diffundunt fontibus vndam?
Quin Pater, ipſe chori Præſes, pro vertice Pindi
Concelebrat generoſa tuos Florentia colles.
Lætus adeſt, agnoſco Deum, nec fallit imago
Lumina noſtra leues non admittentia formas.
In medio reſidens, diuino pollice chordas
Impellit, doctaq; affatur voce ſorores:
Dum lux exoritur toti notiſſima cœlo,
Quæ FERDINANDO *affulſit, cum luminis auras*
Hauſit, & æthereum Tuſco caput extulit orbi;
Vos hilares celebrate diem, vos munere diuûm,
Quæ Magno patuere Duci, memorate canentes,
Et quæ felici voluerunt ſtamine Parcæ,
Cum puero adſtiterunt naſcenti, dicite Diuæ,
Dicite, et alterno laudes committite plauſu.

SIC præfabar, quando mutato consilio, Tuscis poetis, quorum mater, florentissima est hæc vrbs, Natalem tuum Serenissime Domine, celebrandum relinquere decreui. Cur enim peregrinum carmen interponerem Etruscis delitijs, quæ numquam Grecæ, & Latinæ elegantie apud æquos Iudices cesserint? Dedit iampridem Prouincia, quæ tuo paret imperio, eas amœnitates, quibus suas opes lubenter augerent Heroes antiquis temporibus nati, si caput extollere, si poemata ad Arnum dictata possent relegere. At iacent illi, & in squalore iamdudum consenuerunt loca quondam decantatissima. Nostra vigent, & si superiora secula Dantem, Petrarcham suspexerunt, habet hodie Tuscia Saluadorium verè Musarum Seruatorem, qui quod placet, quod Quærengos, Aleandros laudatores inuenit, etiam tui muneris est, qui Scriptorem profectò egregium munificentia foues. Nec enim hactenus Tibi sufficit, aut in iurisprudentia [c] Curinos, in Medicina Castrenses, aut in Philosophia [d] Galilæos, [e] Claramontios benigno fauore prosequi, nisi & politiorum scriptionũ auctores præstò habeas. Macte hac delectatione, Serenissime Domine,

Tuorum

Tuorum Maiorum hac quoque in re nulli Secunde, & me non orantem hac lætissima die, sed aliquid præ deuoto obsequio dicere gestientem, propitio numine admitte. Nec enim operosum cincinnatæ structuræ apparatum affero, non sinuosum verborum ædificium molior. Quę peregrinus nuper aduentans audiui simpliciter narro. Hæc mea felicitas est, cum arte destituar, narratione iuuari, quæ quò minùs à simplicitate abit, ad veritatem accedere dicitur propiùs. Atq; nunquam ad homines maiorum gentium aspiraui, &, vt me à profano vulgo diuiderem, operam dedi. Sic cum mediocribus quàm benè mihi conuenit. quibus semper incolumitas ciuitatum nititur. Qui verum & nosse possunt & dicere amant. plebs aut raró, aut nunquam eligit. cœcis passibus it, quà vtcunque signatur iter. Proceres aut ambiguè dicunt, aut excogitato commento, qua spirat aura commodorum, vela sermonis obliquant. Medij nec inscitia peccant, ne causas affectuum habent. Horum colloquia semper frequentaui. horum etiam contubernium quæsiui. cum his tempus transigere quam iucundum. Hic seria iocis temperantur. sic vetera reponuntur,

quibus nos deceat familiariter vti?

vt recentia non negligantur. Nec mihi difficile fuit in hac quoque Ciuitate quamprimum his cœtibus misceri. Illicò iunguntur, qui fronte hilaritatem, lingua præferunt sermones, in quibus dolosæ spes vtilitatis nullam habet partem. Cùm verò intra paucos dies de multis contigerit cum fructu conferre, de tuo die Natali vigesimo primo erudita fuit confabulatio, atque eò tandem omnia commodè redibant, vt te pie felicem, & feliciter pium extollerent, colligerentque non posse non esse felicem, qui pius sit, & felicitatem solidam mite gaudere pietate, nec posse offendi Nemesin, si celebretur felicitas eius, qui aliter esse nolit felix, nisi sit pius, persuasumque habeat, felicitate excidere non posse eum, qui à pietate non discedat. atque hæc cum dicerentur summo omnium assensu, non potui me continere, quin œstro cuidam habenas laxarem, & in hunc verborum circuitum excurrerem: ò fortunatam regionem, ò beatã Etruriam, dum fasces veneratur illius, in quo sic emicat augusta ex Heroico genere maiestas, sic splendent ingentes virtutes velut per seriem lõgo ordine transmissæ, sic lucent & corporis &

animi clarissima ornaméta, vt velut sol quidam omnia suo circumplexu moderetur Pietas; & cum proprio lumine illa possent consurgere, ab hac malunt omnes radios accipere. Sed iuuat aliqua ex ijs, quæ tunc fuerunt prolata, recensere. Fuit enim qui sic ferè loqueretur: Nam quanta est Cœlitum in hos populos benignitas hac tempestate, quando inclyta Italia, & regina prouinciarum meritò vocata ad solitudinem prope redigitur?

Lugent abductis arua colonis.

Exustis oppidis, fugatis aut internecione deletis incolis, sterilitatem induunt agri. Alpes vtrinque infestos exercitus immittunt. Duplex bellicosa natio velut torrens.

Quæq; suum populatur iter.

Italici generis, & animi qui sunt, aut ambigui in euentum hærent, aut exteris iuncti in contraria studia scinduntur, &, quod pessimum, sic æqua lance pondera rationum aut leuantur, aut premuntur, vt ne quidem oculatissimi, quæ meliora probari mereantur, videant. Nec satis est calamitatum, pestiferi morbi non vno cladis genere grassantur in capita miserorum ciuium, quorum aliqui si conentur erumpere,

necessa-

necessaria sæuitia ad mortis theatrum repelluntur. Ita si circumferamus oculos, vbique deprehenditur

Plurima mortis imago.

Vix quicquam superest, quod aut morbi, aut bellum, aut annonæ incendium non occuparit hactenus; & etiamnum miserandum in modum non populetur. Etruria tamen tamquam cœlo præ reliquis dilecta, in hanc diem incolumis seruatur. hæc bona Tusci vno ore Magni Ducis & prudentiæ & pietati imputant. Hinc omnium in ipsum augetur amor, & quacumq; incedit, velut salutare sidus suspicitur, & tamquam Deo coniunctissimus verissima prædicatione celebratur.

[a] *ANDREAS SALVADORIVS, eximius Poeta, tres ab hinc annos obijt, relictis ingenij sui monumentis, quorum pars edita versatur in manibus eruditorum magna cum laude Scriptoris, pars autem & quidem maior non sine publici saporis detrimento.*

[b] *ANTONIVS CVRINVS Pontremulensis, ad quē legetur inferiùs gratulatio, non expers laudum, quæ debentur ipsius sapientiæ atque prudentiæ. Summus nunc est Etrusci Fisci Patronus, in*


quo munere obeundo tanta ipsius est dexteritas, & integritas, vt apud omnes cuiuscumque ordinis optimè audiat.

[c] STEPHANVS RODERICVS Castrensis mortuus est anno præterito, insignis sine controuersia Medicus: hodieque enim à nobilitate Florentina, vbi luctandum est cum graui, difficiliq; morbo, eius opera desideratur. quod dixisset in libro de Meteoris Microcosmi, Fortunium Licetum, qui hodie Eminens est Bononiæ Philosophus, garrire, quodque in libro de Asitia eius opinionem de facultate animæ altrice quandoque feriante, oppugnasset; coactus est deinceps acerbissimæ cõtentionis reciprocare finem, quæ se coniunxit cum plurimis conuitijs, & maledictis, non sine indignatione Sapientum grauiumque virorum, meritò existimantium fas esse cum alio dissentire absque periculo amicitiæ, modestiæque exutæ, & procul ire iussa nota.

[d] GALILAEVS GALILAEI, Carissimus Serenissimo Magno Duci, reliquisque Principibus ab Etruria, adhuc superest, & licet aduersa prematur valetudine, senioque sit confectus, non desinit tamen subinde excogitare, vt mirè acutus est, quæ possint Philosophiæ, & præsertim Mathematicarum disciplinarum pomœria extendere.

ᶜ *SCIPIO CLARAMONTIVS, clarissimi nominis Philosophus & Mathematicus, omnigena doctrina instructissimus, summa morum probitate conspicuus, iam degit in Patria, otij nescius, emittit apologeticum aduersus Gloriosum, propediem daturus accuratissimos libros de Methodis. molitur etiam antiquitates Patrias.*

Hæc placuit subiungere nunc, dum cuditur liber Ann. M.DC.XXXVIII. die VII. Octobris, quæ solemnis est & lętissima Florentię ob natum Regi Christianissimo Delphinum.



FER-


FERDINANDVS INTREPIDVS,

SIVE

De præsentia Magni DVCIS, cum Florentiæ glisceret pestis.

Dictio lecta Pisis inter amicos.

Quæritur præcipuè, an sæuiente contagione, par sit Principem degere & manere in primaria vrbe, siue Metropoli?





XPOSITIONES, quibus Iurisconsultorum dictis lucem conciliare conor, Serenissimo Magno Duci cum offerrem, faciendum mihi putaui, vt sub finem præfationis generosam tanti Principis constãtiam extollerem, qui furente peste se periculo non subtraxit, sed intrepidus sic semper egit in vrbe, vt maximum inde totus populus perceperit fructum. Beneficium semper memorandum ego tunc paucis sum complexus verbis, cum scirem breuiter loquendum cum eo, cuius tempora morari, est grauiter in publica commoda peccare; cogitarem etiã sic debere laudari res præclarè à summis viris gestas, ne dum veritas pigmentis Rhetorum expolitur, dumq; splendore dictionis illustrari videtur, oratoriam prolixitatem aduocet, declamatoriisq; narrationibus euadat similis. Nunc verò cum subinde ingentem, & admirandam optimi Prin-

cipis erga dilectiſſimos ciues cogitando expē-do humanitatem, tot tantaq; momenta in vna re deprehendo, vt exeſtimem diffuſiſſimam dicendi copiam ſic intra lineas veri poſſe conſiſtere, vt nemo ei hiſtoricam grauitatem foret multa obloquendo detracturus. atque vtinam ea mihi eſſet ingenij vis ad cognoſcendum, verborum vbertas ad explicandum, qualem quidem rei, qua de agitur magnitudo, requirit, efficerem profectò exteri magis magiſq; nobis gratularentur, quibus contigit hoc tempore in Etruria degere. Quod ſi longè impar euadet meus ſermo felicitati, qua vtimur, non fruſtra tamen erit conatus, commendabiturq; voluntas eius, qui poſtquam certatim omnes Tuſci, in pulcherrimum argumentum ſe effuderunt, molitus eſt aliquid, quod nulli ſubtractum quis poſſit affirmare. nam ſi pauperum clamorem, diuitum trepidationem, feretrorum multitudinem, lecticariorum diſcurrentium turbam deſcribam, illicò à me actum agi, clamabunt. Si regiam annonæ largitionem, & ſolemnem circumeuntibus tot patricijs diſtributionem referam, omnia eſſe vulgata, ingeminabunt. Si verò magnanimi principis præſentiæ, quæ inſtar

maxi-

maximi ſolatij fuit metu grauiſſimo perculſis, immorer, tunc non ludi operam vos dicturos non immeritò ſperarim. Et ſanè mirum non eſt, plura poſſe in medium proferri, quando nihil putem reperiri ex immenſa mole ciuilium meditationum, quod maiorem ſegetem non vulgaris diſſertationis nobis poſſit ſuppeditare. Quid enim eſt Princeps in ciuitate, niſi quod Deus in toto orbe, in naui gubernator, in exercitu Dux? Si ſe mundo ſubduceret Numẽ, ad indigeſtam molem omnia illicò redirent. clauum ſi desereret magiſter, deſperato portu in ſcopulos, & ſaxa ferrentur nautæ. ſublato eo, qui imperat, hoſtibus deberent ludibrium milites. Ita ſecedente eo, qui regiminis habenas moderatur, quid futurum, niſi vt ſurſum deorſum omnia vertantur? Sed nolo ita audacter præcipere, præſumereq; illud, in quo contentionem à ſe reciprocari poſſe putant nonnulli. nam audeãnt ſanè ipſi liberè obſtrepere, obfirmareq; animum, vt ſentiant in ſummo vitæ diſcrimine conſulendum incolumitati eius, à cuius ſalute pendet communis omnium ſalus. Ego tela omnia, quæ vibrant, oppoſito ſaluberrimæ ſententiæ clypeo excipiam, vt generoſus

Domi-

Dominus extollatur, quòd cum licuiſſet nō ſine magna veriſimilitudine ſeceſsū prȩferre, maluerit adeſſe laborantibus, maluerit, vt alij minus periclitarētur, periclitari. An, inquiūt qui molliora conſilia ſuggerunt, quiſquam erit, qui non reprehendat nimiam facilitatē Ludouici Regis Pannoniæ, qui cum aliquot millibus non veteranorum militum obiecit ſe immenſis Solimāni copijs, infeliciterq; interijt? Certè barbarus hoſtis miſeratus vices iuuenis interempti deteſtatus eſt inſcitiam, imperitiamq; eorum qui certiſſimæ morti eum obtruſiſſent. Sed fortè ſe poſſent illi excuſare, quod Pannones dicerent, vetuſtiſſimam hanc eſſe illius regni conſuetudinem, vt nonniſi præſente Rege pugnaretur in hoſtem. Verū quæ hæc eſſet ſuperſticio, non poſſe depelli publicam contagionem, niſi Princeps in frequentiſſima totius Prouinciæ ciuitate moras traheret, exiſtimare? An fortè confugiendum ad inſaniſſimam Thracum opinionem, quos error Mahumetis dementauit, vt cenſeant fruſtra vitari fuga peſtiferos morbos, quando, vt non nemo ex ipſis aiebat, peſtis nihil ſit præter ſagittam Dei, quam nequicquam tentent mortales euitare diligentia. Europeos

Rex Ludouicus interemptus in pugna aduerſus Solimannum.

rupeos, profectò Reges cōtra sentire nemo est adeò nostrarum rerum ignarus, qui nesciat. In vicina Gallia, vbi Parisijs lues edit stragem, receptum, vt Rex ad Fontembellaquæum diuertat. Apud Britannos ille, quem superbo titulo Tessaranactum appellat Euphormio, quando serpens tabes gliscit Londini, absque mora regias domos, quas plures procul ab vrbe habet, petit. Nec alia ratione se gessit Lusitaniæ olim potentissimus Rex, cum sæuiente morbo Vlyssipo cadaueribus compleretur. Ita discessit, vt minimè migrasse dici posset. An enim Principis præsentiam metiemur aspectu, an æstimabimus solo alloquio? Plebeij certè est iudicij non posse assurgere cogitatione nisi ad ea, quæ oculis conspiciuntur. Habet etiam mens suum lumen. Nouit Solem, vtut noctu non cernatur, sua tamen vi non destituere terræ eam partem, quam tunc radijs non lustrat. an quisquam animam, qua dignitas hominis constat, est intuitus? Nullus id affirmatum ibit. an propterea non exerit vires? non exercet potentiam? vnde igitur sensus, quo innumera percipimus, vnde motus, quo nos in tot partes vertimus? Puerorum est, vt sint tuti à terriculamentis, ad gre-

gremium matris ſe recipere, opinarique ſuam ſalutem eſſe conclamatam, niſi dulcis genitricis arridentes contemplentur vultus. præſens, imò præſentiſſimus eſt Princeps, quando, dum contagio ſerpit, itinera excubijs ſuorum militum tuetur, quando ad vrbes, ad oppida preſſa malo iubet frumentum, & alia ſubuchi alimenta. Quum ſuo iuſſu, non patitur ægrotis deeſſe Medicos, reliquóſque, non veſpillones deſiderari, vt mortua corpora terræ mandentur. Quando ipſo imperante præſtò ſunt cum extraordinaria auctoritate Magiſtratus, qui vnumquemque in officio contineant, efficiantque, ne, dum ſummam rerum confuſionem oſtentat inuidia fati, ordo deſit. hæc omnia in extremo terrarum tractu, ad Oceanum nempe, vbi Vlyſſes ſui nominis portum conſtruxiſſe dicitur, cum pręſtitiſſet Rex, tandem deſideratiſſima valetudo redijt, recollegerunt animum qui ſupererant, repetita commercia, receptus ſplendor, ciuilia munera reuocata. An Regem illum quicquam in ſe paſſum deſiderari dicemus? an defuiſſe officio, quod eſt paſtoris populorum, pronunciabimus? an prodidiſſe ſubiectam ſibi gentem contendemus? abſit à nobis hæc inſania. Quin potius

velut decet gratam posteritatem meritis laudibus eum ornabimus, alijsque, qui summo in fastigio sunt collocati, imitandum proponemus. Videtis, puto, Auditores hæc talia esse, vt si FERDINANDVS benignissimus noster Princeps suæ saluti consuluisset tunc, cum Florẽtiam depascebatur lurida vis morbi, seq; ad Cæsareum saltum, aut Ambrosianam planitiem, aliumque ex amœnissimis, quos habet, locis, contulisset, non propterea nõ potuisset omnem partem sollicitudinis, qua in eiusmodi difficultatibus est opus, implere. Et sanè qui tunc eramus illic memoria tenemus, quod nemo non ei talem absentiam destinabat, putabatque rem iam esse consilio confectam. Repetebantur tempora, quæ tribus abhinc seculis inciderant, accuratissimè ab elegantissimo Boccaccio descripta, quando vix fuit vllus paulo opulentior ciuis, qui rus non concessisset, vt nonnisi ex tenui plebe viliora capita tunc ex ædibus non mouerint gressus. Eo igitur exemplo quis sibi iam abitum non ponebat ob oculos? Tantum vt præiret dominus præstolabantur. ac in tali expectatione (mirum dictu) vix erat qui crederet, cum peste confictari eam vrbem, ex qua

Aliter tamẽ res ab alijs narratur

non-

nondum Magnus Dux ſedem tranſtuliſſet. prope in eo erant, vt dicerent ſuos ſenſus falli inſtar eorum, quos noctu ludunt inſomnia. nam hinc crepitacula monentia, vt quis ſibi caueret, paſsim audiebantur. furui comites, velut Plutonis ſatellites, cum ſandapilis huc illuc curſitabant, ſub veſperam non incertus rumor iam cẽtum, mox plures, in Libitinæ ærarium veniſſe ferebat. Illinc omnes quærere, cur cunctaretur Curia? cur non expeditum eſſet alio iter? quæ cauſa foret moræ? Atque illuc erant qui deuenirent putantes, augeri famam calamitatis, & multa falsò in vulgus ſpargi ab illis, qui ex alieno diſpendio quęrerent compendium. Nec defuerunt, quod prope incredibile narratu eſt, ex numero Medicorum, qui multa diſputando differerent, falsò illam peſtem vocari, non rectè ei peſtilentiæ nomen imponi. Adeò præſente Principe minuebatur metus etiam in ſummo periculo, vt cautiſſimi, peritiſſimiq; in opiniones difformes tranſuerſi adigerentur. Interim:

Serpebat violenta lues, perq; omnia latè
Compita peſtiferum virus ſpargebat eundo.
Non medicas adhibere manus, non gramine ſuccos
Proderat expreſſos vario miſcere paratu.

Ipsaq; Tusci olei vis te tra aconita retundens
Sæpius indomito visa est cessisse dolori.

Quid hæres Ferdinande? Quid circumspicis? Subtrahe te his malis. te saluo, omnes salui, at si quid tibi humanitus in certissimo discrimine contingeret, quis non periret? aberis quidem duorum millium passuum spatio, sed submittes auxilia. His fere verbis vix erat, qui tacitus, venerationisq; plenus suum dominum non cōpellaret. Ille tamen pergere propositi sancti tenax, non aures blandiloquis sermonibus porrigere, sed certò apud seipsum statuere, non deserenda mœnia, ne se prodeunte, pleriq; ciues hac illac in vicinas villas protinus diffugerent, cæteriq; faucibus orci obijcerentur. at iactabantur frequenter illa, quæ ab initio vestris sensibus ingessi, taliaq; dicebantur esse, vt difficillimum foret, modò quis nollet subtiliter nimiū altercando obniti, eis occurrere, dissoluereq; nodum, quem necessitas ipsa, qua nihil est constrictius, nexuisset. Ac vt liberè dicam, quod sentio, de grauissima quæstione, fateor maius consultationi illi inesse robur, quam vt argutando multaq; comminiscendo difflari distrahiq; possit. Quin potius ad illud, quod tradiderunt scripto-


ſcriptores, dum de moribus agunt, velut arcem editiſſimam, tutiſſimamq; aſcendendo aſpiremus. nam grauiter obſeruatum à ſummis ſapientiæ Magiſtris duplicem eſſe Virtutis modum, vnum quidem, qui pectora mediocri ratione impleat, & à vitijs ſic redimat, vt tamen intra fines conſiſtat humanæ probitatis, & ſollertiæ. Quam quidem ſic expoſuit Stoæ alterum lumen Seneca, vt omnibus obviam dixerit, quodq; neminem reſpuat, neminem, modò accedere velit, dedignetur. ad hanc obruſſam, quod à Magno Principe profectum, nunquam cenſuerim exigendum. altius eſt ſurgendum, ſublimius quid eſt reponendum, ne tantæ gloriæ maieſtas tenuitate meditationis eleuetur, deducaturq; intra illos limites, quibus tanta animi magnitudo capi nequit. Exerat itaq; amabilem frontem veritas, diffundat radios ingenua confeſſio, tenebras pellat certiſſimæ explicationis clariſſimus ſol, vt intelligamus alteram menſuram prę-ſtantiæ, quæ decorat mortales, eſſe humilitatẽ humanam ſuperare, viam ſideream terere, iter olympo affectare, cœlitibus ſimillimum fieri, cõcilio diuorum adſcribi. Eſt ſcilicet quoddam decus, vt in Peripato paululum cùm Stagirita deam-

De virtute heroica differuntur nõnulla.

deambulemus, quod diuinitus cum contingat, numero hominum quosdam, sed paucos, ita eximit, vt Heroas appellatos velut Deos pulcherrima, & beatissima transformatione efficiat. Hic ille est ardor, quo freti Hercules, & è Troia Aeneas à docta vetustate Tartara ipsa potuisse adire, & incolumes inde redire dicuntur. Quod remoto sipario ingeniosi fabulamẽti nihil aliud esse putandum, nisi illos extra ordinem fortes, excellentesq; cum forent, vt humanæ societati prodessent, caput suum obiecisse tot laboribus, quos si qui alij subirent, temeritatis notam non effugerent, tristissimumq; exitium absq; vllo profectu sibi attraherent. Et quid quæso illud est, quod genitos alterutro parentum deo, deaq; ferret fama, nisi vt sibi omnes persuasum haberent, homines quidem illos fuisse, at cœlitus egregios extitisse, colligerentq; non esse par, vt quæ ipsi potuerint aggredi, in trutina, qua librantur cæteri ciuilis vitæ euentus, ponerentur? Beastis non quicumq; hæc monumentis chartarum vestrarum estis interpretati. nam iam Heroem nostrorum temporum agnoscit, veneratur, adorat Etruria, nec Romanis Quirinum, non Atheniensibus Theseum inuidet. Fatetur

nonni-

nonnisi cœlesti vigori ipsius tribuendum, quod Florentia quamdiu horrida mors passim innumerorum hominum portam ausa est impellere, reipsa clamans Principem posse tantisper secedere, Florentia, inquam, est intuita, semper manu liberalem, consilio prouidum, opere promptum, alloquio benignum, fronte hilarem, pectore inuictum, cogitatione vigilantem, affectu sollicitum, pietate religiosum, proposito constantem. hos titulos vniuscuiusq; gratitudo imagini, quam mēs artifex erexit, inscribit, & postquam detonuit procella, gaudet sic auctam Magni Ducis famam, cuius initia maximi fiunt, vt cum iam clemens, iustus, rebus prospere fluentibus vocaretur, nunc depulsa à ceruicibus omnium calamitate, non sine suo periculo, fortis, intrepidusq; heroico cognomento celebretur.



DOCTI


DOCTI LABORIS
DEFENSIO.

Oratio, habita

In primario auditorio celeberrimæ Academiæ Pisanæ,

Solemni more ad publicas cum rediretur prælectiones.

An. MDCXXXII. Cal. Nouembris.



Eminentiſs. & Reuerendiſs.

D. GVIDONI S. R. E. CARDINALI BENTIVOLO.



IVSTVM in librum ſi præfarer, tuarum ingentium virtutum prædicatione aliquot implerem folia, nunc quia non licet nauẽ cymbæ alligare, aut ædiculæ laquearia imponere, vel flumen in riuum deducere, imitor eos, qui dum properant aliò, in tranſitu templi, poplite leuiter inflexo, ori admota manu, & capite aperto ſalutant Numen. Ita ego breuiter veneror eminentiſſimam tuam præſtantiam, dum ad orationem ſolemni more nuper recitatam accelero gradum. Tempus erit, cum ſacras ędes ingreſſus non tra-

tralatitia allocutione tuæ Suadæ ambibo maiestatē, & tabulam affigam, quæ vberiori inscriptione testetur obsequium erga te meum. Interim clara verba prætereuntis propitia aure excipe, vt quilibet hospes intelligat, non posse toto me desideriorum modo excidere, dum sub tutelari Cardinalis Bentiuoli præsidio preces concipio.





ORATIO.



DE labore dicturus publicum ad curriculum dum reuertimur ſtudiorum, illius non tam laudes recenſebo, quam defenſionem ſuſcipiam. diligentia namq; quam mortales impendunt, dum ſuſtinent eam partem, in qua locati ſunt, tanta commendatione eſſe digna videtur, vt omnis opera in ea extollenda ſuperuacanea eſſe exiſtimanda ſit. At occurrendum eſt conuitijs eorum, qui ignauiam palam profeſsi, & otio indulgentes aliorum conatus acerbis contumelijs traducere, & maledictis perſtringere non verecundantur. vbi ſtatim Tullianum illud non poſſum non ingenti cum dolore repetere; ò tempora, ò mores. huccinc rerum deuentum, vt ſegnities ſapientiæ nomen reportet, aſsiduitati verò ſtuporis, &

dementiæ nota impingatur? Atqui quoquouersum oculos flectimus, quocumque cogitationem versamus, omnia tantum non elata voce nos ad strenuam exercitationem excitare, atq; impellere deprehenduntur. Rerum omnium conditorem dum intuemur, vt defatigãtem molestiam ab infatigabili numine remouemus, ita perpetui operis seriem ei attribuimus. non enim absque verisimilitudine Theologorum multi dixerunt in idem ferè recidere quod res cõstruxerit, & easdem conseruet, vt conseruationem fas sit appellare iugem quandam, & non interruptam creationem. quicquid verò hac de re sit, satis constat, Deum nihil aliud esse, quam mentem perenni intelligentia præditam, vt omnis vacatio ab intelligendi munere procul facessere iubenda sit, quoties de summo mundi arbitro sermo instituitur. Si verò ad Platonicorum scholam digressi, cum diuino Philosopho de anima mundi differamus, continuò cum Anchise dicemus.

--- cœlum, ac terras, camposque liquentes
Lucentemque globum Lunæ, Titaniaque astra
Spiritus intus alit, totamque infusa per artus
Mens agitat molem.

Cum

Cum enim animantes quotidie veniant in luminis auras; admirandam hanc animam ociari, nemo, nisi qui desipere velit, affirmarit. Iam sol perpetuo suo motu, nonne nos, vt ignauiam auersemur, tacitè monet? Hinc sacræ literæ eum, ac si Gigas foret summa celeritate præditus, ad decurrendum spatium exultare prodiderunt. Hinc fabulosæ historiæ ei equos, currũ, rotas, flagellum egregio commento adscripserunt. Nam audiendi non sunt, qui veterum monumentorum imperiti, aiunt, Pythagoræ sententiam fuisse, quod sol immotus, ac si centrum huius vniuersitatis foret, in medio hæreat. Atqui de Samio philosopho nihil eiusmodi reperimus, & Philolaus ex eadem disciplina, solem circa ignem, Vestam dictum, ferri, si Stobæo credimus, docuit. Nunc terram perpetua vertigine rapi quia sentire fas non est, nullum tamen industriæ exemplum illustrius extare putandum, quando tam gnauiter operatur, vt omne genus animantum alat, hinc propterea alma æterno cognomento appellata. Ac ne per singula eamus, in nos ipsos dum descendimus, tam multa, quæ socordiam excutiant, inuenimus. Nonne calor innatus, quo vita con- *in eclog. phys.*

stat,

Celebris lamẽ philosophus Fortunius Licetus docet quãdoq; animæ facultatem altricem feriari.

stat, in depaſcendo inſito humore, velut pabulo ſeſe exercet? nonne quicquid alendi cauſa, ſuſcipitur, idem vt in ſuccum, & ſanguinem vertat, abſq; intermiſſo opere, efficit? Flabellum animę pulmo irrequietus, aut trahit, aut expellit aerem, æſtum cordis vt temperet, ſpiritibuſque (quos vocant Medicorum filij) generandis materiam præbeat? Nam & tunc, quando *ſopor occupat artus*, &

in irriguum vertuntur lumina ſomnum

ſpirandi facultas ab officio nequaquam ceſſat. Vtut verò omnis naturæ vox gnauam operam mortalibus amabilem reddere ſatagat, ſunt tamen innumeri numero, qui palpum quietis iucundum ſibi obtrudunt, laborem verò ſibilis, ſanniſque explodunt, laborioſaſq; cogitationes

ſupra Garamantas, & Indos

exulare debere contendunt. Labor, inquiunt ipſi, improbus eſt, ſi poetarum latinorum principi fidem habemus. Nihil verò negotij nobis fuerit cum improbitate. vt enim in ſocietate ciuili probitatem regnare cupimus: ita quę cum illa bellum gerit improbitas, populis ne interſit, proſpiciendum eſt. Quid verò eſt in re ſeria ludere, aut ſe ludificandum præbere, ſi hoc

non

non eſt? ſcilicet in conſeſſu grauiſſimorum virorum dum loquimur, ad ima ſubſellia, vt vocabula interpretemur, nos dimittemus. atqui literas qui deguſtarunt, exploratum habent, eiuſmodi cognomen cur labori in poemate perfecto appoſitum fuerit. quin in quo laborem qui fugiunt, inſtar araneorum telam texunt, vt capiant ſimpliciores, ipſi imprudentes conſtricti detinentur. improbus namque is eſt, qui aſſidua interpellatione aliorum moras, & differendi cauſas expugnat. quæ ratio agendi frequenter vſurpatur in aulis, vbi præceptum pulcherrimum facturis rem commendatur, vt licet precibus ſemel atque iterum ſurda obtrudatur auris, rediri tamen debeat ad ſupplices libellos, & conſtantia in rogando omnem difficultatem tandem ſuperabit. nihil enim eſt tam difficile, ſi Petronium audimus, quod improbitas non extorqueat. Hoc verò laborem non ſolum nõ oppugnat, ſed gratum, acceptumque omnibus illis, qui in ſua commoda peccare nolunt, reddit. Verum enim verò reſiſtunt alij grauiores, vt ſibi videntur, quam vt à vocabulis ſubſidium petant. Hi penetrant arcana Philoſophiæ, quę de moribus agit, & è ratiocinandi arte arripiũt

admi-

adminiculum, vt nobis persuadeant, illud susci-piendum, quod pluribus placere animaduerti-mus, ab eoque remouendos gressus, vnde ma-ximam partem hominum abire videmus. At res ipsa clamat, mortales vt taceãt, plerosque om-nes ab opere abhorrere, lubenterque in quiete conquiescere, & propterea diuina poesis som-num, cuius munere vires nimio labore exerci-tas instauramus, placidissimum Deorum esse cecinit. Hæc nempe effata sunt, quæ nobis spondebant se prolaturos ex secreto doctrina-rum thesauro; in quæ si quis seuerioris censuræ iudicium acuat, Deus bone, quæ monstra fal-lacium opinionum non detegentur? Inficias imus, vt latinè loquamur, plurium sententiam semper esse paucorum cogitationi anteponen-dam. probi namque, & sapientes nunquam nõ à numero malorum, & ignarorum victi sunt. felicitatem in voluptate, contra quam sense-runt, qui sapientiam sunt professi, collocat pro-phanum vulgus, vt Stagirita non dissimulauit. Num quia plebs Ciuitatem prope totam oc-cupat, virtutem amandabimus, voluptatisque comitem vitium accersemus, vt felices simus? Nequaquã nos ita geremus, nisi inter plebeias ani-

animas in poſterum ſtabulari velimus. Omittendum verò non fuerit à Græcis omnis eruditionis parētibus πολλοὺς multos appellatos, qui rectè ſentientibus ex aduerſo collocantur, dum ſcriptum reliquerunt: placere multis, nihil aliud eſſe, quam ſapientia præditis ſe irridendũ propinare. quibus addatis velim, in ſua carmina retuliſſe olim virum priſcæ ſeueritatis amãtem, qui tempore Domitiani floruit, in immenſa multitudine Romanorum, probos homines vix totidem extitiſſe, quot ſunt,

Thebarum portæ, vel diuitis oſtia Nili.

Nec memoria dedignemini repetere, ſic cum Ænea locutam Sibyllam, vt dixerit, facilem eſſe deſcenſum vitiorum (ſic enim interpretor Auernum) at paucos ſolere ſuperas euadere ad auras, quos nempe Iupiter ob ardentem cupiditatem res præclarè gerendi, ſingulari amore proſequitur. Ergo, Auditores, ne miremur ſi dum pelagus inſcitiæ, ignauiæque obuia quæque occupat, atque obruit,

Apparent rari nantes in gurgite vaſto.

Nunc ne quicquam ſilentio inuoluere voluiſſe videamur, agite, audiamus, quid porrò laboris contemptores proferant, ne abſq; cauſa ab

aſſiduitate reſiliſſe dicantur. id verò eiuſmodi eſt, vt dignum eſſe exiſtiment, quod ſemper in ore habeant, vbi de vrgẽda ſtudiorum ratione diſceptatio proponitur. Vitæ, inquiunt, vitæ conſulendum, valetudinis ratio habenda, æuum, quantum fieri poteſt, prorogandum. in ſeipſum ſæuit, quiſquis ſciendi auidus nimia contentione in lucubrando vires oppreſſum it. cur per interualla cœlum nobis diem largitur, & noctem, niſi vt grata vice, iam euigilemus ad opus, iam obdormiamus ad quietem? chordas in cheli quiſquis vehementer extendit, ac deducit, in fruſtra diſcerpit, nec arcum plus æquo protrudit, quicumque eius vſu carere non vult. Quot potuiſſent ſua doctrina alijs prodeſſe ſeros in annos, niſi dum volunt nocturnis impalleſcere chartis, triſte ſui deſiderium amicis reliquiſſent? plures profectò libros legit, qui mediocri cum diligentia conſeneſcit, quam qui iniqua auiditate dum deuorat exemplaria, florentem iuuentutem, & robur ætatis infert ſepulcro. præceps amor lectionis parca illa eſt nequaquam parca, à poetis decantata, quæ forfice, hoc eſt, exaſperata meditatione fila aurei ſtaminis abſcindit, & fato quandam veluti

vim

vim infert. Hic tot rationum conglomeratus aceruus, aut telorum nimbus, nequaquam nos aut opprimit, aut obruit. Omnium namque eorum, quæ gerimus, ducem facimus moderationem. hæc est, quæ desiderijs nostris, vt ut tendant in ea, quæ merentur appeti, legem, certumque morem imponit. Cultu Dei immortalis. quid sanctius est? religiosus tamen modus eum temperet necesse est, ne desinat in superstitionem. quid præclarius, quid generosius, quam patriæ sanguinem impendere? Si quis id præstet absq; temporis, locique delectu, temeritatis culpam induet. literarum, philosophiæ, grauiorumq; reliquarum sciẽtiarum amor honestus est, laude dignus est, iucundus est, egregius est, imo diuinus est; at sibi ipsi constet, oportet. Hoc libenter fatemur, hoc largimur, hoc diserte profitemur. sed an in eiusmodi effato, velut in arce, præsidium supinæ negligentiæ collocabunt aliqui, quos perinde commendat sedulitas in voluendis scriptoribus, ac si ab ineunte ætate loricas Iberas induissent, regum fulgentia signa in armis secuti potius, quam nomina dedissent literatæ Palladi? nam quod ad senium pertingere se cupere vehementer præ-

ferunt, in eo hactenus cum ipsis sentio, vt in mentem omnibus reuocem, è viris, qui diligenter studijs incumbunt, vt ex quouis hominum genere, alios consenescere, quosdam iuuenes occumbere, nonnullos deniq; viros hinc abire: ita rem habere, quis ignorare potest? Sed scio quò tendant, qui desertores sunt studiosæ sedulitatis; Voluptas eos vocat, Liber pater allicit, Proserpinæ genitrix inuitat, Mater Acidalia pertractos detinet. An propterea præ viris doctis producunt ætatem? Minimè gentium. accipite rem versibus, & finem audiendi facite.

Quisquis ad ingenuas accedis protinus artes,
In Themidos cultum seu te rapit inclytus ardor,
Orgia siue Dei, qui numine Pergama complet,
Ferre lubet, seu te rerum monumenta sacrarum
Lecta iuuant, celeriq; petis nitidum æthera mẽte,
Cur dubitas trepidus sanctum perferre laborem?
Obstrue cera aurem, vt socij pellacis Vlissis,
Ne te præcipitem in syrtes trahat improba Siren
Mellifluo cantu dum spondet Nestoris annos,
Si Sophiæ abstineas vigili pallescere amore,
Et Cereri, Bacchoque lites, si Bapta Cotytto
Assiduus lasses, Veneremque in prælia trudas.
Nam quæ pubetenus virgo est, teterrima Pistrix,

Est infra, & pleno spirat mendacia folle.
Fœdam etenim ingluuiem grauiora pericula vexant,
Sanguinei quàm Martis opus. gula luridum ad orcũ
Noxia dimittit plures, quam Noricus ensis.
Nec semper rapitur letho sub prima iuuentæ
Tempora, qui noctu docta exemplaria versat.
Quin amor immensus veri, dulcedine suaui
Perfundit teretes artus, & prorogat æuum.
Atque hæc tot notos laudat sententia testes,
Quos Pisæ stupuere excelsa sede loquentes.
Baldus, & Insuber Decius, Felinus, & ambo
Socini, seræ duxerunt stamina vitæ.
Nec minus extensis deinceps incanuit annis
Mercuriale caput, quo non felicior vllus
Eloquio dulci cupidam erudijsse iuuentam.
Quid referam Angelium, cuius memorabile nomen
Barga colit, magnamque vehit sub sidera famam?
Si verò aut mersere Aquilanum funere acerbo
Diuæ atræ, vel si præceps Acarisi concidit ætas,
Illos doctrina insigni, virtuteque claros
Gratæ perpetua decorabunt laude Camœnæ.

LVCTVS
ACADEMICVS
SIVE ORATIO

In Funere Religiosissimi Viri

HENRICI ANTONII
BVRGI NOVOCASTRENSIS

Ord. Seruorum B. Virg. Generalis, & Theologiæ in celeberrimo Gymnasio Pisano Professoris Eximij.

Habita Pisis in æde S. Antonij Ord. Seru.



Reuerendiſsimo Patri Magiſtro

DIONYSIO BVSSOTTO

In publico Piſarum Gymnaſio
Sac. Teol. Profeſs.

Ac totius Ord. Seru. Beatæ Mariæ
Vic. Gen. Apoſt.

Henricus Burgus de Caſtro nouo P. F.



VM laudatur Reuerendiſsimus Henricus Antonius Burgus, qui vixerit, & vita functus fuerit collaudatur Reuerendiſſimus Dionyſius Buſſottus, qui vitam viuit, conſimiliq; conditione, ac dignitate perfungitur. Hic poſt illum Generalis Religionis, hic poſt illùm publicus in Piſano Gymnaſiò Theologiæ profeſſor: Ita res probat, quod Vates cecinit; Similem ad ſimilem

lem ducit Deus, *& catenata quadam ſerie, ſpecieq; ſimilitudinis deperditum reſtituit, vt laudationes mortui quadrent viuenti. Debeo ego agnationi Patrui mei memoriam hanc, debeo laudatori viro eximio editionem commendationis huius, mihiq; ipſi nunquam non debeo obſequium pietatis officium gratitudinis, ſed ſimul etiam occaſionem ſignificandæ deuotionis, qua te proſequor, religione generalem Patrem, benignitate fautorem peculiarem, in hoc ſimul Patrui loco habendum, quod quem non iungit affinitas, tibi obſtrinxerit innata Protectoris mei, & hactenus mihi perſpecta beneuolentia. Vale.*

VNEBRI oratione memoriam Henrici Antonij Burgi cōmendaturus, laudibuſque ornaturus Theologum cum paucis egregijs cenſendum, vereor equidem ne magnæ audaciæ, & temeritatis apud vos, qui conueniſtis ad me audiendum notam ſubeam. Quod enim facinus vocari meretur audax & præceps, ſi meum ita appellari non meretur, qui paucas abhinc horas cum fuerim certior factus mortis tam luctuoſæ, nunc ſedem hanc conſcenderim de tanto viro dicturus apud viros doctiſſimos, & omni eruditionis genere conſpicuos? qui, vt ſumma humanitate ſitis præditi, & ad indulgendum errantibus parati, imprudentis tamen hominis fuerit ſuæq; exiſtimationis paruam habentis curam, vobis adeo præcipitati conſilij materiam præbere excuſandi maluerunt enim ſemper viri graues culpa vacare, quam commiſſorum veniam conſequi. Sed exaduerſo ne venia videar indigere obtenderim magnam eſſe vim conſuetudinis, quæ rationem obluctantem non rarò quò vult trahit, ingens etiam ineſt precibus, aut monitis eorum, quorum cauſa omnia velle debere vide-

mur, vis, atq; pondus, vt vos nequaquam deceat mirari, ſi tantam temporis anguſtiam non reformidans, in funere præſtantis profeſſoris dicendi prouinciam non detrectarim. Intellexi namq; moribus huius celeberrimæ Academiæ eſſe receptum, vt ereptos morte rerum diuinarum interpretes humaniores litteras, & eloquētiam, qui tunc profitetur ſolemni concione laudet, & extollat. Et vt id facerem quà hortando, quà rogando euicerunt Patres, quibus petentibus nihil denegare iampridem pro mea erga præclaros homines obſeruātia in animum induxeram. Quod ſi ergo in laudationis progreſſu deficere videbor, veſtrum, beneuoli Auditores fuerit, aut cenſere non peccare eum, quem in neceſſitatem peccandi coniecit, & conſuetudinis, & petentium imperium, aut protinus ignoſcere ei, qui à via accuratè orandi horarum fuit

ſpatijs excluſus iniquis

quod verò, vt ad rem ipſam aggrediar, ornamēta Burgiana à natali ſolo altiùs repeto, in eo non video quid acer cenſor reprehendere poſſit, cum, quomodo in tali argumento ſe geſſerint viri ſupra omne exemplum poſiti, ſatis ſuperq;

perq; exploratum ſit. Plato .ſ. diuinæ facundiæ Philoſophus in decantatiſſimo Epitaphio, & Pericles, quem ob ſummam in loquendo vim Olympium nominaiunt, à patria exorſi ſunt cõmendationem eorum, quos vita functos apud Athenienſes celebrarunt. Ita mihi Henricus non abibit indictus, dum ad Caſtrum nouum vnde oriundus fuit, non procul Derthona oculos flecto. vt enim plurima prætercam, quæ de Inſubribus magno cum applauſu proferri poſſent, illud iam diſſimulare nequaquam fas fueris, quod inter Italiæ incolas inſigni animi candore ſunt inſtructi, quem ad ciuilem ſocietatem, familiareſq; congreſſus ſic adferunt, vt videantur ad amicitias ineundas aptiſſimi à natura facti. ita ab ipſorum moribus omnis exulat fucus, duplices ſenſus ſermonis auerſantur, artes fallendi, vt portas Ditis deteſtantur. vt præ reliquis multum de priſca mortalium ſanctitate, & aurea probitate retinere videantur. Qua in re, ſi educationi per ſeriem Auorum traditæ debent, non parum regionis poſituræ imputent neceſſe eſt. Neſcio .n. quomodo fiat, vt illi, qui Italoruw nemine veniunt, quò propius ad Septentrionem accedunt, candidam

mentem ſpirent, agendiq; rationem non fucatam, ſepoſita fallaciarum ceruſſa præferant, & viciſſim ab ea Cœli plaga remotiores, qui ſunt, Tyrios bilingues magis imittentur, Græcorum more iuſiurandi ſanctimoniam inſuper habere conſueuerint, à Pœnorum inſtitutis non vſque adeò abhorrere deprendantur. Si verò hæc nimia libertate nonnulis obijci ſunt qui cauſentur, omittamus, ſanè aliorũ vituperationem, dum fas ſit extollere Galliam Ciſalpinam, quæ vitales auras Burgo dedit, qui manifeſtis argumentis ſemper oſtẽdit non ſe eſſe à beata illius prouinciæ virtute degenerem. Atq; è pueritia excedens, ingreſſus Adoleſcentiæ annos, quando animus cum ratione colluctatur, ac facilè ad auia abripitur, & anfractus, ille & genio patrio, qui recta, ſincera, cœloq; grata ſuadere ſolet, obtemperans, & diuina monita, quibus regio illa valde abundat, audiens pronis aurib⁹, maturo, & planè virili conſilio ambiguis humanæ vitæ fluctibus, turbidæq; varietati, quæ optimas ſępè indoles doloſa perturbatione inuoluere ſolet ſe ſubducere conſtituit. Religioſo, inquam, ſeruorum Beatiſſimæ Deiparæ ſe aſſociauit cætui. Sic ille exiſtimauit ſe poſſe ingeni-

geni-

genitam ad priſca grauitate viuẽdum propenſionem, quam paterna tellus ſuppeditat, & ſeruare, & augere per quam commodè. En vobis Auditores, in Henrico noſtro, adhuc iuuene ſupra ætatem præclaram prudentiam, en generoſum voluptatum contemptum, en fugam eorum, quæ inſitam naturæ optimæ parentis ſententiam tranſuerſam agere ſatagunt. Ament alij, poſtquam ſuæ voluntati per omne genus cupiditatum fecerunt ſatis, poſtquam, quicquid prauè affectarunt, ſunt adepti, iam aut ſatiati, aut laſſati tandem aliquando ad ſanctam frugem redire, & labe vitiorũ deturpatam animam purgare. Quos equidem non obruo maledictis, quin approbo ſolicitudinem ipſorum, gratulorq; petentibus portum arrepta tabula, poſtquam naufragium fecerunt. Saltem.n. ſecundæ fœlicitatis eſt argumentum, poſtquam quis errauerit, inſanieritq; cogitationes ad ſapientiam mutata vice transferre. Sed ego Burgum ſuſpicio, ſapientemq; voco etiam in eo annorum curriculo, quod ſapientiæ vix eſt capax, qui vitiorum expers, qui iuuentæ integer ad partes, quæ beatæ omni ex parte ſunt, ſe contulit. Si verò quis ex Iurecõſultorum ſchola nouitius ar-

guta-

gutator ſit moleſtus, quæratque, cur cum libertatem cum ipſa vita accepiſſet, eaq; deinceps ad res præclarè gerendas tanquam inſigni adminiculo, vti poſſet, ea tamen ſe voluerit vltrò abdicare, interq; ſeruos, quorum conditio naturæ diuitias videtur abliguriuiſſe, recenſeri. At non videt ille, aut videre non vult, quiſquis ſic ratiocinatur, ſe à ſeptis legũ, Imperatorumq; iuſſis ad arcana diuinæ, tranſnaturaliſq; ſcientiæ intempeſtiuè tranſire. Intentus libertati, qua cum primi mortales mundo recenti in luminis auras educti dicuntur, neſcit ſe vertere ad alia, quæ fruſtra in commentarijs eorum, qui de iure reſpondent, quæruntur. Qualia ſunt, quod conditi ab initio cum tanto tot bonorum apparatu humanæ gentis parentes, paulo poſt præceptum ingens negligentes, fœlici ſtatu exciderunt, quod quaſi aurigæ munere fungitur in deducendo homine ratio, quæ ſi ſe patiatur curru deijci, ibi quæ domina erat, incipit parere, tractiſq; habenis indomiti ſenſus mentẽ, ceu foret ſerua, rapiunt, quò vocat impetus conſilio carens. quod qui Deum regnatorẽ omnium audit vocantem, iubentem, imperantem, ſeruus vtcumq; appellari põt, cum reuera regnet, quiſ-

quis

quis optima, ſublimiaq; ſuadenti obtemperat. Sic Henricus noſter illibata pietate in flore iuuentutis præſtans, Virginem illam, cuius pedibus ſe ſubijcere amat aſtrum, quod inter ignes cœleſtes emicat ſplendidè, ſingulari cultu, ac ſi ſeruus foret proſequi voluit, ratus non ſe poſſe ſplendidiori gaudere libertate, quam ſi Matri eius, qui nos iam perditos ſeruauit, ſeruiret. Hęc eſt regia libertas, quam non donant pilea Romanorum, non confert vertigo, non tradit feſtuca, non largitur conuiuium, non ingerit teſtamentum. Non hoc ius norunt tabulæ, non pręſcribit Maſuri Rubrica, non Gaius interpretatur, non diſſerit Sabinus. in opertaneis ſacris ſanctarum litterarum hanc licet inuenire. Hæc ipſa eſt, quam reperit Antonius, eorum quî ſolitudinem ſæcularis typhi neſciam ſectantur, princeps, in hac prælufit fatidicorũ præcipuus. ſic ſe admirandum præbuitis, qui digito Seruatorem monſtrauit. HOC voluit in oriente ANTIſtes, cui à Regnando impoſitum eſt nomen. TE igitur rectum animi HENRICE, qui vt ad veram libertatem euaderes, ad ſeruitutem te demiſiſti, ſicq; compoſuiſti motus ingenij, vt elegans paradoxum exteriorum Sapientum cum Chriſtiana ve-

na veritate existimatis esse coniunctum, solos nempè probos liberos, omnes prauos, & si sceptra gestent, & diademate capita muniant esse seruos. Hactenus, quod Burgus se intemeratæ Seruatoris Matri manciparit intellexistis, & quidem vt mores libero homine dignos efformaret, qua quidem in re sic operam nauauit, quam sedulam, vt pulcherrimarum rerum contemplationem non neglexerit. quin cum cogitaret eo magis suum obsequium Cœlesti dominę gratum fore, si quanta ipsius esset præstantia non solum adorãdo, sed & intelligendo, alijsque interpretando, quatenus mortalitatis lex permittit, disceret, totum sese ei notitiæ, quæ à Deo vocabulũ habet, & alteri, quæ præit, comiterq; manu ducit philosopię, dedidit. vbi denuo, quàm saperet supra seculi latè dominans vitium, animaduertite, mecumq; consultè cognoscite. quis .n. nescit plurimos hodieq; numerari in tanta sciẽtiarũ luce, qui crassam inscitiam, omnibusq; curis solutam ignauiam opinantur esse status, quem omniũ bonorũ coniunctione perfectũ vocarunt, compendiariam? ita dũ nihil sciunt, aut scire moliuntur; dum nihil præsignante notitia agunt, in Cœlum se abire animo concipiũt. qua

in re

in re non procul à Democriti ſchola, aut illius, qui eadem veſtigia premit, abire ſunt exiſtimādi. Nam falſi nominis ſapientes putarunt quietem, & otium diuinum turbatum iri, ſi Numen eorum quæ apud nos geruntur, curam haberet. Atqui & noſtrates non exigui numero ſimili deliramento compoſitum ius, faſq; animi, ſanctoſq; receſſus tunc ſe conſecuturos ſomniant, ſi ignari omnium eorum, quæ docta vetuſtas poſteris tradidit ediſcenda, exiſtant. Ita quam diligenter cauent, ne in tabula, quam natales leuem, nulliſq; litteris aſperatam tradiderunt, quicquam exaretur. Hi ſunt illi, quos fucos à præſepibus arcere deberent aculei quouis ſtilo acutiores. Hæc inutilia pondera miror, quod tam patiens ſit terra ipſa laborioſa, vt ferat. Hos ſuis diuitijs cur ferunt incumbere Principes, & Ciuitates? ſed quo me impellit indignatio? an eò vt in alios inuehar, inſtitutumq; laudandi Henrici omittam? Reuoco me voſq; ad ſtudia à Theologo noſtro ſuſcepta, magnoque ardore illuc deducta, vt omnibus materiam præbuerit admirandi, paucis ſpem indiderit imitandi. Cum .n. initia ſubtilitatum inuitantibus Magiſtris velut à limine ſalutaret, tanto

Ignaui, & ignari ſapiūt ſcholam Epicuri.

P pro-

protinus in ea raptus est amore, vt insatiabili desiderio repleretur quamprimum, quicquid id esset, quod tot voluminibus comprehenderetur, peruadendi, penitusq; cognoscendi. Neq; rei difficultate, quæ magna est, deprehensus est deterreri. Id ideò factum puto, quod igneum ingenij vigorem ad discendum afferret, quandoquidem in principijs disciplinarum capessendis, si non percellantur Adolescentes, quin potiùs voluptate quadam suauiter alliciente perfundantur, quod feliciter in stadio doctrinarũ sint perrecturi, non dubio argumento colligere solent prouidi rerum æstimatores. Hocque in Burgo præoccupato cursu euentus illicò comprobauit. Nam cum socij Philosophici laboris sequerentur præceptores tardigradis passibus, ille moras indignatus adhuc discipulus, qui docentibus æquari posset, dignum se esse ostendebat. id quod tunc potissimum præstabat, quando remota præsentia virorum, sub quornm Magisterio proficiebat, inter æquales in controuersiam reuocabantur ea, quę pridie audita fuerant. Tunc ille, ac si Veteranus foret, & iampridem dicta huiusmodi nota habuisset, quæstiones in omnem partem versabat nunc pro

affir-

affirmante pugnans, mox negãtis defenſionem ſuſcipiens. iam viciſſim, quod telum in aduerſarium inficias euntem poſſet torqueri obiter exponens, ac tandem quid eſſet ſentiendum dilucida expoſitione docens. ò præclaram Henrici indolem, ò ſuſpiciendam doctrinæ aleam. Siccine licuit iuueni prius eſſe magiſtro, & interpreti, quam diſcipulo? licuit ſanè, & licuiſſe res ipſa non intra vnius scholę parietes oſtendit, ſed elata voce per totam Italiam, qua ter Beatæ Dei Genitricis Famuli domicilia habent, clamauit. vt verò ſi quando in Cælo nouus ſtellæ fulgor ſe conſpiciendum præbet omnium oculi illuc attolluntur, ita ſuæ doctrinæ, & ſedulitatis radios emittente Burgo, nemo fuit ex cætu illo, ad quem fama inſolitæ ſollertiæ non perueniret. vnde adeò factum, vt intra breue tempus, qui rerum potiebantur eum iudicarint dignum, cui docendi alios prouincia demandaretur: & quia omnes noui docto in puluere Athletæ videndi, coramq; alloquendi, & audiendi erant cupidi, ipſe paucis annis labentibus omnes ferè vrbes, vbi Patres ſedem habẽt obiuerit, in quibus ita ſuas partes impleuit, vt exemplo ſuo euicerit, non ſemper celebritatem

nominis præſentia minui, ac quandoque expe-ctatione, quæ famæ infenſa eſſe ſolet, multum addi opinioni, quæ magnis de viris vulgò eſt concepta. Miri verò erant ſermones inter ſo-cios, ijque impatientiæ pleni, quando intra paucos dies adfuturum, nuncius attulerat. ille de ipſius ſubtilitate multa ferebat, hic prom-ptitudinem commendabat, alius de facilita-te, qua cuncta perrumperet, differebat, erat qui comitatem ſuſpiceret, qui laudibus ornaret modeſtiam, qui morum innocentiam deprædi-caret, alij alia curioſa diſquiſitione efferrent. Sic aliquandiu peregrinando docuit, ac do-cendo eſt peregrinatus, donec Patauij conſe-dit, vt ſui inſtituti homines imbueret robuſta ſapientia, ibiq; præcipuè præberet ſpecimen, vbi diſciplinæ celeberrimam ſui faciunt pom-pam. Audierunt è Veneta Prouincia grauiſſi-mi Senatores, quibus Ticinenſis Academia eſt commendata, quis quantuſq; eſſet Burgus, atq; propoſito ſtipendio eum ad ordinariam Theo-logiæ profeſſionem in publica luce obeundam inuitarunt, effeceruntq;, vt pateretur ſuam am-plitudinem in ſplendidiſſimo loco collocari. Ibi tam feliciter, tam ſollerter ſuam approbauit

ope-

operam ijs, qui professorio munere eum exornarunt, vt Serenissimi Magni Duces, quorum iudiciũ in eligendis professoribus ab omnibus suspicitur, eundem Pisas accersiuerint. Est verò, quod tibi gratuler, o Pisana Sapientia, quæ Henriciano quoq; lumine es illustrata, atq; vt inuida mors loquentis vocem in æternum silentium interruperit, loquentur tamen, quandiù Theologorum lingua non tacebit, Paradoxa, quæ vigilata in hac vrbe sunt, quam non vulgarem promeret Theologiam Burgus. Scitis Auditorum non pauci, qui præstãtissimum hominem nouistis familiariter quãtos labores exantlauerit, vt Gandauensis illius, cuius nomen ferebat, doctrina è situ, & tenebris, in quibus tria propè sęcula, non sine squalore latuit, erueretur, & recõditę cognitiones, cognitu dignissimæ thesaurum scholasticæ disceptationis augerent. & fauit aliquatenus cęlum eximio proposito, dum in manibus habemus doctissimum volumen, cui plurima erat additurus, nisi inexorabilis parca vitæ stamen, heu nimium præproperè abrupisset. Adeò namq; Henricus de Henrico benè merendi erat cupidus, vt amplissimę dignitati, qua toti Ordini præerat res, suas *Paradoxa Henrici de Gandauo*

sibi

ſibi habere iuſſurus eſſet, homò ab omni ambitione alienus, tantum, vt nihil temporis ſibi elabi pateretur, quod contemplationi ſcholaſticarum controuerſiarum non tribueret, impetraretq; , vt orbis doctus denuo ſpectaret Belgam cum Scoto ita congredientem in libris, vt olim voce decertarat Pariſijs. Atq; hæc cum meditaretur, & inter tot virtutum immortalia ornamenta deberet in terris ad ſplendorem noſtri Gymnaſij augendum, claritatem ſuæ familiæ amplificandam, pomœria Theologiæ extendenda, profectum ſtudioſorum promouendum diutiſſime degere, aut etiam perennare, quia tamen pars ipſus mortalis erat, ſerpens vlcus pectoris in dextra parte larenter, & velut ex inſidijs eum non tam inuaſit, quam laceſſiuit. Quod quia exiguum, leueq; videbatur ab homine, qui totus ad ſublimia meditamenta rapiebatur, ab initiò eſt contemptum, ſed id paulatim malignitate quadam imbutum, in tumorem occultè, licèt lentè graſſantem eſt dilatatum, Mediciſq; tandem viſum eſſe pernicioſius, & grauius, quam vt depelli ægro è corpore poſſet. Vt vero hodie in Belgio non eſſero, & celeri impetu oppugnantur munitiſſima Oppida,

Qua ratione obſideãtur vrbes in Belgio.

ſed

ſed excitata circumquaque per noctis obſcuritatem munitione concluduntur obſeſſi, & alteris aggeribus ſeparantur, & repelluntur, ſi qui commeatum, aliaq; in vrbem comportare conentur, atq; hoc modo belli, quod cum tranquillitate coniunctum videtur, intra aliquot menſium lacrymabile ſpatium ad deditionem incolæ adiguntur: Non aliter tumidus hic morbus longè, latèq; expanſus, miti dolore viciniȩ cordis obrepens ſic nouiſſimè ſua pernicie ibi ſe muniuit, & hæſit, vt medica non poſſe videretur amplius adhiberi manus. Inter quæ morbifici exitij diuturna, & non depellenda interualla, Burgus noſter, vt viuidæ erat celeritatis, Cæſareo voto, deproperatam vitȩ cladem maluiſſet ſibi contingere, niſi vt diuinæ Philoſophiæ inſignis illuſtrator optimè nouiſſet, languorem, quo tardo greſſu tenditur ad metam exuendæ mortalitatis viro ſapienti eſſe præferendam. Hanc enim eſſe cognitionem, qua tranſitur ad Cȩlitum ſempiternam quietem, & omnibus numeris beatam vitam, ſi quis adhuc corpore indutus, voluens animo mortem, antequam ipſa letale ſtringat telum, ſecum diſcat à materia ſecedere ex ergaſtulo, & velut carce-
re cor-

re corpore eluctari, ſordes à terra acceptas deponere, mentemq; cui à cęlo origo eſt, vndequaq; puram reddere, vt in nouiſſimo conatu nulla vincula illam remorentur, quò minus proficiſcatur illuc, vnde ridens inania rerum noſtrarum nomina, ſibi ſubiectas nubes, & ſidera cernat. Sic dum decubuit languens Henricus ad egreſſum ſe excitauit, conſtantia pectus inſtruxit, terras dedidicit, cœlo ſe dignum reddere perrexit, omnem aciem mentis ad diuinitatem flexit, & ſe ipſo maior factus, iam nihil humi repens, aut lecto fixum ſentire, aut loqui eſt deprenſus. Ah quoties ſilentio, & ſpe fortis, exhilarato vultu, exporrecta fronte, intentis oculis, immortalitatis regiam viſus eſt affectare, & ſedem non interruptæ lætitiæ contemplari? aut quoties verſa vice eloquentia quadam, qua cælites dicta diffundere dicuntur, præditus, atria illa, in quibus degnnt, qui munere diuino immortales ſunt facti, extulit? Ah quoties vitæ, quæ letum planè ignorat, nectaream ambroſiam ſe deguſtare auidiſſimè cupere indicauit? Obtinuiſti Henrice, (ſic ſanè nos ſperare iubet tua pietas) obtinuiſti, inquam, quod cupiebas, & quæ longo labore abdita

myſte

myſteria penetrare, detegereq; alijs, ſi ſerus noſtrę Academiæ intereſſe potuiſſes, deſiderabas, nunc remoto imbecillitatis humanæ ſipario intueris. Sic es adeptus præmium tot tuarum exercitationum, quibus alios erudiſti. Apud vos verò auctario melioris felicitatis inter celebriores huius ſcholæ profeſſores ſic ſemper memoraberis, vt, ſi ego tenuitate orationis tuas laudes nunc detriui, habituri tamen ſint auditores fidem affirmanti, me, dum de te ſum locutus, cum Theologo Theologiam ipſam commendare cogitaſſe. DIXI.

DE BARBARIE
DEPELLENDA
Oratio habita in maiori Auditorio.

Cum recepta consuetudine rediretur ad publica Studia.

Cal. Nouembris. MDC.XXXIII.


Mmnes qui liberales diſciplinas in celebribus Athenæis, aut docendo tradunt, aut audiendo percipiunt, in hunc ſcopum dirigere dicuntur arcum, vt barbariem à conſuetudine mortalium depellant, vel ſi depulſa iam ſit, ad noſtros mores pedem referre non patiantur. Non equidem iuerim infitias reperiri aliquos, qui tantum abeſt, vt præſtent, quod præ ſe ferunt, vt potius ruditatem volentes nolentes pariant, foueant, atq; propagent. quorum peruerſa agendi ratio floccifit ab ijs, qui publici ſaporis ſermonem non habēt quiq; bonæ menti, rara felicitate litauerunt. Horum labores dum gratulabundus intueor, ſuſpicioq; cogitationes, quæ fugitiuam ſapientiam honorificè detinent, atq; exornant, huc orationem deduco, vt de barbarie profliganda in hoc doctiſſimo, eruditiſſimoq; conſeſſu verba ſim habiturus. Nec enim in ea verſor opinione, vt putem in Etruria, quæ omnis doctrinæ, omniumque elegantiarum ſemper fuit mater, regnare barbariem. Quinimo ex ijs, quę maiores noſtri in eliminanda imperitia geſſerunt, quomodo alij ſeſe exercere debeant, vt

ipſis quam ſimillimi euadant, indicabo. Si nāq; fateri volumus quod res eſt, aciem mentis ad beata tempora, quibus Athenæ florebant, extenderunt. Acceperint ſanè Græci à Syris AEgyptijs, alijſq; nationibus rudimenta quædam. Hoc tamen eorum capiti laurum deuictæ ignorantiæ non detrahit, cum ſatis ſuperque conſtet, vagam quamdam, & fluctuantem effatorum farraginem apud reliquas gentes incertis ferè auctoribus extitiſſe, quam velut indigeſtam molem acceptam Pelaſgi diuino ordine, & pulcherrima claritate digeſſerunt, digeſtamque in excelſa ſede conſpiciendam collocarūt. Non aliter certè cimmerium Chaos è latibulis tenebrarum eductum eſt a Summo Numine, machinaq; quam venerationis pleni contemplamur, affabrè facta, atq; conſtructa eſt. O fortunatam medicinam, quæ tantum imputat diuino ſeni, e parua inſula profecto, vt ſi dictanda fuiſſet ab Apollinis filio, ſublimius, grauiuſq; inſtar non obtinuiſſet. Ita certat in ipſius ſcriptis cum pondere rationum breuitas, cum robore argumentationis maieſtas. Et neſciunt ſapientes priuſne allecti percellantur auctoritate, an conſtricti permulceantur diſſertatione.

Vt

Vt verò CousHeros è limine amœnitatis pleno, in quo ab aligero Aligerio exteræ animæ collocantur, Fernelios, Leonicenos, Fracaſtorios, Mercuriales, Septalios, Laurentios, Gorræos, alioſq; in hoc quoq; Gymnaſio adhuc ſuperſtites, germana germina agnoſcit, & toto pectore complectitur: ita ſi caput extollere, cœtibuſq; intereſſe poſſet, aut colloquio non dignaretur, aut increparet illos, qui velut Agyrtæ forent medicam panaceam cauponantur, ad plebeculam vocabula ſono timenda conferruminant, vt auribus inſidias faciant, videanturq; leges fatorum refigere apti. Hæccine vetus diſciplina, quam prope intermortuam Pergamenus ciuis inſtaurauit, liberaliq; cauſa manu aſſeruit? vbi accurata illa, & arguta locutio? vbi cauta prouidentia? vbi de ſalute ægroti ſollicitudo? vbi Hippocraticę meditationis repetitio? Neſcierim quid pronunciem, ſi quæratis: barbaries ſicne excutiatur, an reuocetur? Nihil ſperemus ab ijs, qui quicquid diſcurſant, garriũt pollicẽtur, opes Galenicas interpretantur. Iniurato credere fas eſt, nihil facere ad exitium barbarię eum, qui vtcumq; inſtructus pæonia facultate, non alia de cauſa, quam ne ſacculus ſit

ple-

plenus aranearum, domo egreditur. Sed aurem mihi velli ſentio ab admonitore, ne principem locum in narratione Medicorum filijs eam tributum. quaſi multum referat, cui agmini quis adſcribatur, modò ſtationem locumq; commendet virtus. Nam nec Philoſophos reliquis poſtpono, nec Theologis ſubtraho primos greſſus, ſi Iuriſconſultis ob oculos ponam aureum ſeculum, quo Eunomie plenos radios diffundens viſebat Imperium Romanum tunc, quando Neruam excipiebat Traianus, orbis illuſtrabatur ab Adriano, Antoninorum pietas micabat, Seuerus humano generi delitias faciebat. Ducentos & plures annos extincta iacuit Barbaries, & iucundas vices occupauit in Vlpiano, Scęuola, Marciano, Paulo, Papiniano cęlitùs dimiſſa Aſtræa. Quisquis es, qui me audis, legum interpres, verbis perſpicuis reſpondere te cogam, ſi ſcire velim, quo exiſtimes tempore iuriſprudentiam floruiſſe, vt ſibi omnes numeros adeſſe poſſet gloriari? non tranſilies ad ętatem ſupra dictaturam Cæſaris. tunc bis ſex tabulæ proſtabant cum edictis, & Senatuſconſultis, plebeijſq; iuſſis. Iuriſprudentum ſubtiles nondum emerſerant commentarij. neq; ad

Con-

Conſtantinianum æuum pedem conferes, cum ſchola reſpondentium de legibus tunc euanuerit. Gothicas, Longobardicaſq; ſolitudines execraberis potiùs, quam vt inde Romani iuris exemplar petere velis. Si Lotharij initia, ſubſecutoſq; progreſſus iactes, præſtò erit, qui verè contendat cœpiſſe tunc reſtitui amiſſa bona, ſed obſcuræ diligentiæ plurimum defuiſſe. Extolles igitur lubens meritoq; ſeriem, quę à Traiano, aut Auguſto ad Diocletianum vſq; proſperrimè excurrit. Si verò inuidia ſeculorum luculenta dictata, exactaq; volumina interuertit, at Thracio Cæſare iubente ſuperſtitata ſunt per quinquaginta libros ex lacrimabili naufragio fragmenta, quæ quauis gaza ſunt pretioſiora, quouis auro ſplendidiora. Nunc vt iudicium inſtituatur de noſtratium Iureconſultorum pręſtantia, componantur vtriuſq; partis ſcripta ad imaginem priſcorum, quorum nomina extra controuerſiæ aleam poſita ſunt, & quinam à barbarie magis ſint remoti, apud quos certiora vetuſtatis veſtigia ſignentur, paruo negotio reperies, oculiſq; vſurpabis. Fruſtra tamen quorumdam obduratum animum emollire nitimur, cùm ſtatuerint, quidlibet potiùs negare, quàm

ſe

ſe male didiciſſe fateri, aut quæ non didicerunt laudare. à quibus dum diſcedo, inque aliam partem me verto, è Peripato immenſam lucem erumpere, non abſq; ſummo gaudio video. O ſolis exortum, ò clariſsimum meridiem, ò inocciduum ſplendorem. an è gente Lucifugarum, quorum ſcire quàm anguſtum eſt, extiterit, qui ei tenebras offundere ſe poſſe ſperet, & aciem præſtinguere eorum, qui tot annos indefeſſæ lectionis ei impenderunt? An barbariem euerſum ibunt, ſincerumque propinabunt philoſophiæ liquorem, qui turbidos Maurorum riuos ſectantur, qui fontes illimes Attici ſermonis, quo vſus eſt magni Alexandri magiſter, ob linguæ inſcitiam coguntur auerſari? Quiſquis admirandum Deambulonem græcè diſſerentem non intelligis, ſed ab Arabibus turbatum, aut Pariſienſium conclamationum ſtrepitu concuſſum conſulis, ſi te barbarum non appellauerit acrimonia Cěſorum, in limine exoticarum ſordium hærere collutulatum, ſponſionem facere erit parata. Felices ter, & amplius cum Aphrodiſæo qui incedunt, Themiſtianam perſpicuitatem complectuntur, à Simplicij recto tramite non deflectunt, aut ſi placeat Italorum re-

cen-

centem operam commendare, Pendasium circumstant, Zabarellam comitantur, à Piccolomineo discunt, Cremonini latus stipant, Bonamico indiuidui adhærent. Qui omnes tam bene meriti sunt de Nicomachi filio, vt si Pythagorica transanimatio vera foret, veterum peripateticorum animas in ipsos immigrasse nõ dubitaremus. Iactetur sanè ab alijs nomen Aristotelicum, non tamen glaucomæ obijcient ijs, qui norunt, quantum ab Hipani distet Venetus Eridanus. Sed resilio ab expostulatione, quam fas foret instituere, nisi scirem, insaniæ esse argumentum, si vnus homo, cuius vita perbreuis est, bellum gerere velit, cum integris Rebuspublicis, ordinibusq; perennibus. Præsertim cum Barbarica hydra à Iureconsultis, Philosophis, Medicisq; concisa atq; contusa, ad Theologorum aspectum non aliter obrigeat, quam viso Persei scuto marina Gorgon. Exuratur санies, hauriatur veneficus sanguis à terre, conputrescant repullulantes vertices, incondita ruditas, quę subinde erumpit, contumuletur, & saxea mole tanquam Balista latro æternum obruatur. Sacrarum literarum germanum sensum expiscantur ingenui homines cum Stri-

donenſi Hieronymo, per Oceanũ eloquij pandunt vela cum Græcis Baſilio. vtroq; Gregorio, & Iohanne. Subtilitatem profundarum cogitationum ſic repetunt ab Hipponenſi Antiſtite, vt decurrentes per arcana Aquinatis aliorumq; fateantur diui Ignatij diſcipulos ſic ſtudia, quæ à Deo nomen habent, tractaſſe, vt in ipſis ſolidam doctrinam cum nitore omnis barbariei experte coniunctam deprehendant, deprehenſamq; lætitiæ pleni exoſculentur. Tantum poteſt oratoria facultas, & exquiſita eruditio, qua qui præditi non ſunt, tria verba non fantur, quin illicò ab argutis ingenijs in fæcibus barbariæ verſari non dicantur. Siue igitur, Auditores, diuina effata exponamus, ſeu reſponſa Iuriſconſultorum interpretemur, ſiue quomodo ægro è corpore depellendi ſint morbi, doceamus, aut naturæ vires indagemus, ſi profeſſorium munus obire pro dignitate volumus, barbaricas nubes diſpellamus, animum ad ſublimia excitemus, cum paucis ſentiamus, ſcriptores vulgo aut ignotos, aut inuiſos conſulamus: & ſi qui ſint, qui glandibus frui velint, cùm proeſtò ſint fruges, nos ab illis diſſentire, palam profiteamur. Fremant, frendant, furant,

vt mater Penthei, vt Mimallonum chorus, nos ipſorum maleſanos mores ſuſq; deq; feremus. Ego certè,vt vt ſciam meas diſſertationes, & congreſſus nonnullis eſſe moleſtos, quod ipſorum vellicent craſſam Mineruam, tantum abeſt, vt doleam eiuſmodi vices, vt nulla de re magis glorier, quam quod odium internecinum, quo proſequor Barbariem, odium capitale mihi conflauerit eorum, qui ab inueterata barbarie non diſcedere in animum induxerunt.



PRÆSENS DISCESSVS.

GRATVLATIO

Cum ANTONIVS CVRINVS, Eques, Iuris Ciuilis in Gymnaſio Piſano ordinarius Profeſſor,

Nunc verò ampliſſimus Auditor Cameræ Fiſcalis,

MAGNI DVCIS Conſiliarius renuntiatus fuiſſet.


Nter omnia, quæ Principi incumbunt expedienda, pręcipuam esse Administrorum electionem, iampridem inter sapientes rerum ciuilium æstim totes perinde est receptum, ac si Phœbi è cortina emanasset. nihil enim est, quod viris egregijs demandari non possit, nihil quod alieno ministerio non queat impleri, vt ab illo, qui imperat, laborem exantlari necesse non sit, si præstò habere liceat eos, quorum humeris onus imponatur, quorum diligentiæ prouincia tradatur. at insignes homines nosse, euocare, publicis muneribus admouere, id totum, quantum quantum est, iudicio proprio est peragendum, neque vllius consilio, & fidei transcribendum, nisi velit Rex imperij solam vmbram esse penes se, corpus verò, & rem ipsam degere penes alium. In hoc vno si se virum præbeat, suisque consulat rationibus, quam benè in cœteris audiet, quantis laudibus extolletur? nam sapiens non potest non censeris, qui rectè, quid cuiq; sit commitendum, vt curetur, perspicit, atq; deprehendit. Laudem profectò, quæ Legatis, consiliarijs tribuitur, ad eum, à quibus approbati sunt, redundare,

apud

apud omnes est peruulgatum. quod cùm ita se habeat, mirum nemini videri debet, si certatim plausibus excipitur, encomioque euehitur FERDINANDI SECVNDI Etruriæ Magni Ducis prouida prudentia: in eo namq, curam ponit, cogitationemq; collocat, vt ad arcana suorum consiliorum seligat, & secernat Proceres, à quibus nihil nisi quod sanctū, quod iustum, quod tutum expectare fas est. non ibo per singulos, cum vix vni pro dignitate laudando, par sit stili mei tenuitas. Te verò indictum mihi abire ANTONI CVRINE, multa cum non permitant, illud vel nolenri posset extorquere acclamationem, dum à Serenissimo Magno Duce ad secretas grauissimasq, consultationes accerseris, ne tot professorum, totiusq; adeò celeberrimi Gymnasij euanescant voces, quibus tua merita memorant, virtutem celebrant, dexteritatem prædicant, quibus felicitati publicę gratulantnr, gaudiumque, quod ex incremento tuę dignitatis percipimus, exprimunt. etsi enim non defuturi videantur, qui longè instructiori apparatu sint ad pulcherrimum argumentum accessuri, nihil est tamen quod vetet, quò minus ego reliquis palmam
cele-

celeritatis præripiam, elegantiæ, & exactæ vbertatis coronam relicturus. atque eò lubentiùs prestantium hominum de tua præstantia iudicium, & sermonem vsurpo, ne si priuatim verba facerem, famam tuam contingeret minui, gloriam deteri, lumen obscurari. Iucundum scilicet, & facilitatis plenum opus est, in illius elogia excurrere, & exspatiari, quem conceptis modis, disertaq; prædicatione passim intelligas decorari. Quis autem hoc dierum spatio, ex quo de accessione, quæ ad tuos honores facta est, Florentia allatus nuncius, auribus non hausit Curiniani nominis insignes titulos, ingentia decora? percipiebatur vndique quam ferax sit tua patria, Pontremulum, in educandis, emittendisque per vniuersam Italiam ciuibus, vt in celebribus vrbibus honestissimis, cõspicuisq; muneribus cohonestentur. esse in recenti memoria, quæ à Villaneo Senatore, in Hispania, Italia, Germania suscepta, gestaque fuerint sagaci consilio, cauta prouidentia. quod iucundiùs narratum scimus, cum is è tua disciplina prodierit, te duce iurisprudentiam coluerit. illud propiùs ad rem accedit, quod de tuo parente, de tuis fratribus, consanguineis, tota
deni-

denique Curinorum ferebatur familia, quæ ſola dederit hactenus tot ornamenta, vt vna poſſet Pontremulo antiquiſſimo, & nobili Inſubriæ oppido, ſi alioqui obſcurum foret, celebritatem, ſplendoremq; conciliare. cui rei etiã ipſe Magnus Dux non ita pridem teſtimonium tulerit, cum eximium genus, Curinianum genus appellauit. Ex quo te profectum aiebant, quatenus iuueniles annos perſcrutandis legum Romanarum arcanis impenderis in Gymnaſijs Piſano, & Senenſi, vbi præceptorem habueris BENVOLIENTVM, virum, qui ob ſanctitatem morum, & profundam, magnamque iuris ſcientiam, veriſſimus Iuriſprudentiæ ſacerdos mereretur nuncupari. Cuius auſpicijs intra breue tempus eò præſtantiæ pertigeris, vt legum non ſolum Doctor, ſed & publicus interpres, & profeſſor fueris renunciatus. hic exclamatum à nonnemine fuit: ò felicitatem ingenij, ò induſtriam laboris, ò generoſæ indolis profectum, qui abſq; temporis, & moræ interuallo, è magna diſcentium caterua, ad exiguum, & egregium docentium numerum tranſfert, ex imis auditorum ſubſellijs, ad profeſſoriam ſedem promuuet, ad excelſum faſtigium extol-

extollit. quod epiphonema ſic exceptum recordor: limitibus caret ſemel excitata proficiẽdi cupiditas. otium neſcit animoſus ardor. præmium artibus alimenta miniſtrat. prius defatigabuntur in curſu cœleſtes orbes, quam vt mẽtem ſublimem capiat bene agendi ſatietas. ſola temporum æternitas explere poteſt humanum pectus. vbi aliquamdiu vmbraticas pugnas pugnauit Curinus in Vlpianea palæſtra, ſolem & puluerem fori tentare voluit, tribunal Senis cũ quauis curuli ſella comparandum meruit, & obtinuit. quæ ibi, bone Iupiter, dedit in diſceptando ſolidæ cognitionis, limati iudicij, conſtantis integritatis argumenta. Effecerunt hęc ſpecimina, vt ſedulitatem ipſius, & ſapientiam implorarit Florentina Rota, conſultiſſimus Iuriſperitorum conſeſſus, viuida vis Aſtræę, iuſtitię aſylum, æquitatis propugnaculum. Ne verò omnia recenſeam, Vir illuſtriſſime, (tecum enim rurſus loquor) quam multa in decurſu cum tua peritia extra ordinem communicauerint Magni Duces, quantum tuæ aſſiduitati detulerint, ſeorſim ediſſertauit vir mentis erectæ candidæq; cenſuræ. Nam in quas ambages, at intra ſemitam, ſe indueret mea dictio, ſi

qualis quantuſque inter patronos æqui, & boni emicueris, nunc reponerem? Rediueris ad Academiam poſt forenſe tot annorum exercitamentum, poſtquam tot cauſarum cum fluctibus ſophiſmatum conflictantium cauſam in portu ſtiteris, in anchora collocaueris. Certatim effuſi parres te antiquam ad conſuetudinem reuertentem, ſed decorum amplo ſtipendio, ſed inter ſummos numeratum, excepere lętitiæ pleni. Senſu deſtituta ſi poſſent fari, quibus dictis ſenſum communis gaudij explicaſſent ipſa ſubſellia, ipſæ exedræ, ipſæ columnæ? At ſubduceris denuò, & ſubtraheris noſtro deſiderio. I felix, i fortunatus. nullo non oſcine vade bono. omnes aues dextram volent ominationem. iubet Magnus Dux. quid dulcius tali neceſſitate parendi? inuitat aula. occurre, propera, futurus tu quoque aulæ magna pars. adeſt in limine hilaritatem pleno vultu diffundens Eunomie. hæc tibi tot deſtinat lauros, parat lemniſcos, inſtituit triumphos, erigit trophæa. triumphos cum tropheis quales decet pax, ambit Minerua, circumdant palladia auctoramēta. Inter quę non propterea te, tuumque animū ſubierit Piſani Athenæi, cuius diē tu tot annos
do-

docendo ſeruaſti, illuſtraſti, auxiſti, obliuio. qui te norunt (& verò notiſſimus eſt tuus candor) nulli dubitant, quin apud Sereniſſimum Magnum Ducem, labores, vigiliaſq; eorum, qui inſcitiam, ſocordiamque ſeculi oppugnant, & quantum permittit temporum iniquitas, euertunt atque profligant, ſis memoraturus, atque defenſurus. ita fiet, vt minùs ægrè iacturam, quam incutit tuus diſceſſus, ſimus laturi. imò nec diſceſſiſſe cenſebitur is, qui præſenti fauore apud eum, cui militamus, veteres amicos atque collegas numquam ſit deſtituturus.




De Eminentiſſima Cardinalis

AVGVSTINI OREGGI

DIGNITATE


AD IPSVM GRATVLATIO.





EMINENTISSIME

OREGGI





I vnquam Romani culminis apex, Vrbanus Octauus, quæ via, ſit calcanda, vt ad ſacræ purpuræ Eminentiſſimum templum recto tramite pertingatur, docuit, id, dum te tanto in faſtigio collocauit, graphicè expreſſit. Tu grauitatem ſtudiorum Philoſophicorum, Theologicorumq; ſic in ætatis vere induiſti, vt exiſtimaris reijciendum eſſe morem eorum, qui cum ſemel ſpatium confecerint, quod audientium ſedulitati decurrendum proponunt vmbratica ſubſellia, deinceps ad Sirenios otij ſcopulos, ac ſi omnium arcano-

rum iam forent facti Epoptę, conquiefcendum putant. Ipfe in alia omnia ab huiufmodi confilio abijfti. nam relectis veftigijs exultafti tanquam alacer, robuftusq; Ladas, vt curreres curfum irretorto pede, irreflexo lumine. qualē promptitudinem, boni Cœlites, attulifti ad peruadendos Stagiritę reconditos fenfus, vt omnem difficultatum obfcuritatem dulci luce contingeres, atq; illuftrares. Hic nempe vir ille eft, quem doctorum hominum magiftrum appellatum nouimus à Dante. Hic in tempora, quæ Regem Macedonum tulerunt, cum incidiffet, ambigere coegit plufne ipfe prę ftiterit in difciplinis inftaurandis, perficiendifq;, an Philippi Filius in extendendis Macedonici regni pomœrijs. Huius tu Ariadnęum filum fecutus inobferuabiles altercantium Scholarum ambitus adeò feliciter obferuafti, vt fuis numeris fulgentem cognitionem ad diuinam notitiam attuleris; hanc fimul tecum iniuifti rationem, vt perfuafum haberes inanem effe operam, quam quis ftagiricæ impendit fubtilitati, nifi faftus Nicomachei fapientis à fapientia cœlitus dimiffa ad fobrium modum fapere difcat. nullum lumen adeò clarum, perfpicaxq; eft, quin inftar

Atti-

Atticæ volucris ad myſtica ſecreta nictet, atq; cæcutiat. infelix eſt Sophus, qui æternæ Sophiæ, quam Seruator cum ſuis diſcipulis communicauit, ſupercilium non ſubijcit. Sanè Veteres Sanctiſſimi Antiſtites cum non minori ingenij accumine pollerenr, quam Peripatetici Deambulatores, aut Platonici Academici, in cœtu Chriſtianorum modeſtiam profiteri maluerunt, quam è ciuitate Sanctitatis cum ſuperbis ſcriptoribus exulare. quale ergò beneficium imputat Chriſticolarum orbis Scholaſticorum Principi Thomæ Aquinati, qui nobis Stagiricorum dogmatum aſperitatem, indomitamq; contumaciam manſuefecit, Auerroemq; titulo interpretis turgeſcentem ad mitiores ſenſus traduxit. Tu quoq, vir Eminentiſs. Stagiram faſcibus Aquini parere cum docuiſses, carbaſa per vndas grauiſſimarũ quęſtionũ pandere non dubitaſti, oculos ſemper ſub aſtrũ celeberrimi Thomæ tenens. quoties verò doctiſſimorũ hominũ in conſeſſu acerrimũ cum iniretur certamen tibi palmas vidimus ſurgere. Hærebunt ſemper in memoria Romana dies illi, cum te auſpice, & duce in auguſto Florentinæ nationis templo Bartholomæus Oreggius de-

ſen-


ſententijs vniuerſę Theologiæ ſolidè, ſubtiliterque reſpondit. Tunc, & ipſum Franciſcum Barberinum, quem iam tota Italia Etruſci, & Romani nominis delitias vocat, vidimus, & ſuſpeximus tela argumentorum ſtringentem. Tu verò oppugnantium Euripeos æſtus ſic excipiebas, vt omnes fluctus frangeres, atq; componeres, inq. medijs motibus eſſes tranquillus. Nihil enim adeò vehemens conſurgere poteſt, quod tuam tranquillitatem in diſputatione percellere queat. cum verò publicę vtilitatis augendę ſemper flagraris deſiderio, non tibi ſatis fuit meditationes diſſerendo, colloquendoq; alijs impertiri, ſed & calamum ad ſcribendum appuliſti. idq; eo euentu, vt tua volumina Theologica mole quidem non magna, at documentis ingentia Summam Summarum appellare iuremerito liceat. Videras pleroſque, eos præſertim, qui grauia ſuſtinent negotia, à tractatione ſacrorum ſtudiorum propterea abhorrere, quod cernerent in immenſa collectanea abijſſe commentarios, quibus legendis maior temporis pars foret oblimanda. quid interim fieret alijs vitæ officijs? alijs diſciplinarum partibus? Querelam tu in animum
dimi-

dimisisti oppidò sapienter constructo Theologiæ ædificio, in quo, neq; quibus vacat legere, quicquam desiderant, neq; occupati prolixitatem caussantur. quid quod breuitatem dum sectaris, perspicuitatis commendationem rara laude non amittis. Hos labores cum intueretur Summus Pontifex, neq; deflecteret oculos ab innocentia, quæ tuos mores decorat, cum perpenderet diuturnam operam, quam sibi sedulam nauasses, cum moderationem, quæ animum tuum comitatur, contemplaretur, cum animaduerteret, quam accuratus esses in implendis tot alijs partibus prudentiæ tuæ impositis, tandem tot merita Sacræ Purpuræ splendore statuit eohonestare, efficereq; vt qui iam virtute eras eminentissimus, dignitate quoque talis appareres. ò diem nitidissimo lapillo signandam, cum Quirinali è palatio erupit de tua purpura vox. ò nuncium, qui totam Etruriam, vbi iam clarus eras nominis fama, ingenti lętitia perfudit. ò mihi quoq; acceptissimam Iacobi Bellolij tibi deuinctissimi Epistolam, qua Gaudentij pectus gaudio incredibili repleuit. Tunc ego raptus viuido, quo te summopere colo, obseruantiæ œstro carmen exaraui, quod si ob suã

Iacobus Bellolius vir pietate, & rerum Theolog. cau ũ vsu præstans.

tenuitatem non viuet, certè vt immortale esset, & immortale foret mei erga te affectus monumentum, dictatum est. Si verò exili filo deducti versiculi ex memoria literarum euanescent, id tua certè nihil interesse potest, nec enim indiges ab alijs celebrari, claritatemq; foris quęrere, qui domi micas, vt ætherius Sol, & talia construis emittisq; opera, in quæ exercere iniuriam non poterit futuri temporis vetustas.






In laudem

IOHANNIS CAROLI COPPOLÆ, EXIMII POETÆ,

EXCVRSVS.





Elicibus auspicijs tuum in publicam lucem proditurum Poema, quis dubitet? Plurima sunt, quæ, vt ita pronunciem, impellunt, nequis me inani coniectura niti dum auguror, arguretur. Antequam enim animum, stilumq; appuleris ad componendum hoc Poema, in scribendis versibus Italicis, comparandoq; poeticæ dictionis vsu tantum profecisti, vt iam olim Ossunæ Dux, decantatus ille Neapolitanus Prorex, admiratus tuam in com-

ponendis carminibus præſtantiam, te magna beneuolentia complexus fuerit, atq; ſuum poetam vocauerit. Ipſe verò, quia animaduertebas cum aula non bene conuenire grauibus philoſophiæ ſtudijs, ſcires etiam partum edi à mente humana non poſſe, niſi ingenti doctriuarum flumine inundata fuerit, ad Campanellam, magni nominis virum commigraſti, vt ſcita non vulgaria reportares. O te felicem animi. Sic Veteres in arcanis philoſophicis profecturi homines celebres adibant, multoſq annos apud ipſos degebant, vt pectus eximia rerum cognitione fœcundarent, atq; replerent. Horum conſilium imitatus apud Campanellam integrum quinquẽnium latere voluiſti obſcurus, & velut ſepultus, vt tandem clarus prodires, atq; inter viros doctos cum laude verſari poſſes. Quas verò latebras cum ipſo non peruaſiſti? quæ myſteria non tentaſti? ad quas meditationes mentem non vertiſti? Inſtar Protei nullam non formam coegiſti ſubire ingenium, ne in poſterum vlla opinionum, ſentenriarumque vel difficultate, vel nouitate percelleretur. Nam placuit exuere inuenum conſuetudinem, quæ hodie paſſim omnia occupat, quęq;
effi-

efficit, vt qui ſibi valde ſapientes videntur, ſtultiſſimi ſint. Dictata namq; magiſtellorum velut ſententias cœlo delapſas legunt, circumferunt, memoriæ mandant. à lectione verò inſignium librorum,& vlteriori veritatis perquiſitione quam diligenter abſtinent, cum iam ſibi perſuaſerint, ſe metam contigiſſe, nihilq; ſuæ diligentiæ ſupereſſe peragendum. O ſeculi vitium omnibus omnium proborum vocibus impetendum, confutandum, explodendum, ne pergat nocere,& ingenia iuuenilia velut peſtilenti ſidere afflare. ſed prudentis eſſe putas ita ſæculi vitia notare, vt tamen aduerſo flumine non trahatur nauis,aut brachia torrenti obijciantur. Recte quidem tu ſic ſentis, qui licet ſuſpiceres Campanellam, non tamen in ipſius verba iuraſti, neq; omnia es amplexus, quæ ille protulit impetu ingenij correptus. Frænum propenſioni tuæ inieciſti, ne latum vnguem diſcederes à magiſtra veritatis,ab Eccleſia Romana, quæ cenſuram exercuit in ſcripta Campanellæ, ne ſi irent per manus,& ora hominum lectoribus incautis obeſſent. Ergo tu quoq; Campanella tandem miſſo facto, ne nimiæ familiaritatis cum eiuſmodi homine notareris,exi

ſti-

ſtimaſti tibi faciendum, vt iam tandem aliquid molireris, quod reſponderet, & poetico dicendi generi, quod iam pridem paraueras, & variæ rerum cognitioni, quam apud Campanellam acquiſiuiſſe videbaris. Multa argumēta vltrò ſe ingerebant. Iam trahebaris ad Areoſti varietatē, mox pedem mouebas, vt Taſſum imitareris: nō deerant amici, qui vt bella Hiſpaniæ aduerſus Mauros geſta caneres, hortabantur. fuit qui diceret carmina non placere, niſi Venerem, Veneriſq; prolem extollant, niſi lacrimas amantium exprimanr, niſi puellarum beneuolentiam ambiant. Nam ſic placuiſſe Petrarcam. Dantem à paucis legi, quod meram philoſophiam propinet. at poeſin repertam, refocillandis animis, temperandis miſerorum mortalium curis. Nihil in Areoſto amoribus eſſe frequentius. Taſſum putaſſe ſe neglectum iri, ſi Hieroſolymorum expugnationem abſque amœnis amantium figmentis deduceret. Quid Caſæ, quid Bembo, quid Marino faciendum, delitias Veneris ſi auferas. Tu tamen aduerſus hęc animum obfirmaſti, non minus quam ſocij Vlyſſis cera aures muniuerunt, ne fallaciū Sirenum cantum audirent, pręſenſq; exitium
ſibi

ſibi attraherent. Tibi limites poſuiſti, ne vnquam carmen euagaretur ad nugas amatorias, ad perniciofas illecebras, quę vtramque paginam plerorumque poetarum replent. Sacrum Poema ſumpſiſti texendum generoſo propoſito, nam id Italica lingua nemini hactenus tentatum. Non deterrebaris, etſi videres Pieridum auia loca peragranda. id verò mirum videri poſſit, quod de re, quæ prima fronte ſterilitatem præferre videbatur, verſus ſcribere non dubitaris. Sed ſterile non fuerit carmen, vbi canitur Virgo, quæ ſingulari vi Spiritus Sancti fœcunda facta, Dei ipſius genitrix extitit, effecitq; pariendo, vt deinceps qui Filium ſuſciperent, Deo naſcerentur, Deiq; germina appellarentur. Atq; ambigere nefas eſt, ab ipſa Parente quam canis, quam vocas ad ſcribendum, ingentem copiam datam fuiſſe. Nam abſq; cœleſti munere qui fieri potuiſſet, vt in argumento nouo, ſalebrarum pleno, difficultatum Męandro inuoluto depromeres tam multa vbere ſententia, iucunda varietate, dictione in qua, non claritatem, non facilitatem, non elegantiam, non amœnitatem, non grauitatem deſideres. Vbi vltima reſpondent primis cate-
nata

nata ſerie. vbi tot dicta, tot ſententiæ ex abdita Theologia perſpicua nobiliq; ratione exponuntur. Vbi tot hiſtoriæ ex ſacris litteris repetuntur ſumma cum lectoris voluptate. quid memorem illa figmenta nō figmenta, quæ plauſum referunt, quæ adeò veriſimilia ſunt, vt putet quis conficta à poeta non fuiſſe? ſic vero cū domi efformaſſes dędalum opus, non illicò typis putaſti mandandum, nam ſapientum virorum conſilium ſecutus exploraſti iudicia, vadum famæ tentaſti. Romæ primum, dein Florentiæ. Factum bene. Nam dum ſcripta ſubiecisti alienæ emendationi, inuidiæ conatum fregiſti, in tuto collocaſti lucubrationes, in te deriuaſti beneuolentiam eruditorum, quibus tantum deferre es viſus. Hic certatim laudibus opus extulerunt, præſtantiam poematis tota hac florentiſſima vrbe euulgarunt, vt tandem & ipſe Sereniſſimus Magnus Dux FERDINANDVS SECVNDVS te iuſſerit vocari in Aulam, vt ex tuo ore audiret optimos verſus, quos ingenti honorario cohoneſtauit, pollicitus ſe tibi, quem magnum poetam appellauit, non defuturum. Hæc ergo ſunt felicia illa auſpicia, quę editionem pulcherrimi operis co-

mi-

mitantur, hęc argumenta, ex quibus victura tua carmina quis non collegerit? quis non iurauerit? Gratulor tibi Coppola, qui tuæ famæ iam incipis intereſſe, qui cum floreas ætate, diu, quod opto, tuæ gloriæ intereris, ab omnibus vt elegantiſſimus, piuſq; poeta ſuſpiciendus. Nam iam Florentiæ oſtenderis digito prætereuntium. de te vbiq; multus eſt ſermo, in aula extolleris, in Academijs commendaris, in cœtu eruditorum celebraris.



DE PLATONICA ACADEMIA


Sereniſſimi Principis

LEOPOLDI

AB ETRVRIA.

NVNCIVS,

Allatus Cal. Nouembris in Magna Aula celeberrimi Gymnaſÿ Piſani.


EM nouam atque auditu iucundam vobis, Auditores, narraturus die planè illustri, qua publicos ad labores in hoc celeberrimo Gymnasio reuertimur, hanc sedem conscendi. Nolim autem quenquam existimare locuturum me de ijs quæ in Germania, & in Belgio geruntur, dum bellum gliscit inter Reges, aut aucturum de Insubricis motibus, Valtellinicis turbis, Galliæ Cisalpinæ conatibus. Non faciunt hæc ad nostrum institutum, non queunt vllam nostris sensibus ingerere lætitiam. furibundo enim Marti, cum Musis, cum Minerua, cum Sapientia, cum legibus non conuenit. Pacifica nos otia iuuant, quibus sub imperio Serenissimi Magni Ducis fruimur in Etruria. ad tranquillitatis Academicæ egregium specimen vocamur, seu Philosophiam interpretemur, siue sanctitatem legum illustremus, siue diuina arcana nos trahant, aut mores regnorum Rempublicarumque detineant, aut etiam lubeat Hippocrateas sententias indagare, vel per amœnissimos eruditionis cãpos expatiari, Mathematicamq; veritatem sequi. Illud, inquam, quod Florentia huc reuersus sum

relaturus, totum hunc cœtũ doctissimorũ Hominum, nobilium, & studiosorũ Iuuenũ, qui vt me audirent cõuenerunt, exhilarabit, efficietq; nisi maxime fallor, postquã auditus fuero, vt omnes magna cũ alacritate certatim ad studia bonarũ artiũ excolenda se accingant, excitent, atq; inflamment. Altius auté repetendum ex memoria eorũ, quæ centum aut etiã plures abhinc annos in florentissima Tuscorum Vrbe euenerunt, sub auspicijs magnanimi Laurentij Medicei institutã fuisse præclarissimã Academiam, quæ singulari iure sibi eiusmodi nomen vindicabat, propterea quod vix alius Philosophus preter Platonẽ in ea locum habebat, auctoritatéq; obtinebat. Ipsius arcana, atq; libros cum maximi facerent Picus Mirandulanus, Ficinus, Landinus, alijq; qui munificentia Laurentiana ad exploranda dogmata diuini viri prouocabantur, cœperunt conuenire, capita conferre, & in commune disserere, quod ad instaurandam tanti Philosophi scholam maximè facere videretur. Non illi vlla difficultate deterreri potuerunt, quo minus ingrederentur carperentq; iter, quod ducit ad sublime Platonicæ sapientiæ templum nunquam sine summa obseruantia memorandum,
atq;

atq; recenſendum. Felix autem euentus egregiorum illorum hominum diligentiæ reſpondit. Nam quantum in doctrina Platonica profeciſſet Picus, in hexaplo ſatis ſuperq; oſtendit, nec diſſimulauit cum carmen quoddam Italicum, quod Platonicas opiniones redolebat, interpretaretur. In Ficinum verò poterat ipſius Platonis anima immigraſſe videri, niſi à religione Chriſtiana Pythagorica animarum tranſmigratio eſſet exploſa. Nam & Platonis libros latinos fecit longè meliùs quam recentior Serranus, vt mihi quidem videtur, & Plotini volumina itidem ex græco vertit, ad vtriuſq; opera, diſſertationes inſtituit, vt obſcuritatem tenebraſq; depelleret, atq; profligaret. Quid memorem Epiſtolas, in quibus ſubinde multa ex diuini Philoſophi copia ſapienter, atq; eleganter repetit? Opus autem illud de immortalitate animæ eiuſmodi eſt, vt omnes, qui ſubſecuti ſunt, à ſcribendo de eodem argumento deterrere debuiſſet, niſi euulgandorum librorum paſſim vagaretur inſanabile cacoethes. Vt verò his alijſq; laboribus in ſummo ſplendore lumen Platonicum, quod tot ſecula obſcurum, atque prope extinctum latuerat, collocatum fuerit,

rerum

rerum tamen mutatio ingens apud Florentinos secuta, motusq; bellici effecerunt, vt paulatim tantus Philosophicæ sapientię splendor immi-nutus fuerit, atq; obscuratus. Quod cum in animum suum non absq; dolore dimisisset Serenis. Magnus Dux FERDINANDVS SECVNDVS, ad comitatum fratris sui Serenissimi LEOPOLDI ingenti benignitate allexit viros natalibus, doctrina atq; elegãti eru-ditione notos atq; conspicuos, qui cum tota æstate apud Principem conuenerint, Dantemq; poetam doctissimum, grauissimumq; perlegerint, atq; Academicum in morem colloquendo clarum perspicuumq; reddiderint, tandem ipsius Platonis monumenta in manus sumere atq; differendo peruadere constitueru-nt. Quod cum ego intellexissem, Serenissimo Principi sum gratulatus, felicemq; prædicaui. Quis enim fortunatum eum esse neget, qui cum ex prosapia augustum habeat splendorem, talem potuit habere Fratrem, qui inter præcipuas cogitationes hanc quoq; voluit esse, vt Frater LEOPOLDVS consilio illustrium sapien-tumq; virorum optimis doctrinarum institutis imbueretur? Gratulor iterum tibi, Serenissime

Prin-

Princeps, qui ingenij acumen, quo preditus es, non pateris hebeſcere, quinimò illud ſic excitas atq; exerces, vt nullam diem patiaris elabi, in qua multiplicis doctrinæ atq;eruditionis theſaurum non augeas, locupletioremq; reddas. Quis verò hoc quidem tempore tam ſocors ſit atq; ignauus, qui diligētiæ non litet, quādo cernit Etruriæ Sereniſſimum Principem contemptis voluplatibus, inſuper habitis perniciofis illecebris id precipuè agere, vt depulſa caligine, lucido die doctrinarum mentem ſuam illuſtret, fecundet, exhilaret? nec verò, quod pleriq; illuſtri genere nati faciunt, ſatis ipſi eſt hiſtoricorum vireta inuiſere, poetarumq; flores carpere, & leuiori manu, tralatitiaq; opera qualemcumq; notitiam ſibi parare. Vlterius pergit, robuſta ſapientia pectus, mentemq; munit, vt licet Princeps ſit dignitate, cum doctis tamen, ſolidaq; rerum cognitione preditis ſuas cogitationes conferre queat. Ita nullus erit ex ordine Academico, quo conſeſſus hic omni obſeruantia dignus conſtat, qui ſua doctrina aditum ad tanti Principis beneuolentiam nequeat parare. Nam ſi Philoſopus eſt, Ariſtotelemq; ſuſpicit atq; admiratur, placebit illi, qui

qui Aristotelis Magistrum legit, colit, in succum, atq; in sanguinem vertit. Si Medicinam interpretatur, cum Principe poterit excurrere ad ea, quæ a diuino scriptore tradita sunt in Timæo, inde sermonem instituet de dogmatibus Hipprocratis atq; Platonis, in quam rem fas erit nosse ea; quæ à Galeno pro Platone cotraChrysippum luculento commentario tradita, atq; exposita fuerunt. Qui Mathematicas disciplinas acuta promptitudine in Gymnasio interpretatur, non pauca ex Platone repetet, vbi demundo, de reminiscentia, de anima, alijsq; disputatio instituitur. Qui verò sanctitatem legum docendo tuentur, aureos libros de legibus à summo Philosopho exaratos proferent, atq; illustriores admoto Romanorum Iurisconsultorum lumine efficient. Nec excludentur secretioris Philosophiæ, quam Metaphisicam cum Grȩcis appellamus, doctores. nam Parmenides totus quantus quantus est, transnaturalis Philosophus est, fontemq; perennem abditæ primæque Philosophiæ bibendum, atque hauriendum propinat. Grati quoque erunt illi, quibus à Deo impositum est nomen. Theologi, inquam, auribus attentis

au-

audientur. Nam tam multa de rebus diuinis deprompſit Plato, vt diuini cognomentum iure merito à conſenſu eruditorum fuerit adeptus. Imò pulchrè cum religione Chriſtiana in multis concinit,nulluſq;inter Philoſophos propiùs acceſſit ad noſtra myſteria, quam Plato, quod Sanctiſſimus Hipponæ Antiſtes non diſſimulauit. Ea de cauſa veteres Chriſtiani, qui alios docebant, potius Platonem ſecuti ſunt, quam vllum alium è numero philoſophorum. ipſe enim magnificè de Deo ſenſit, cum eius conſilio atq; operæ, (ſi ita loqui fas eſt) vniuerſitatem rerum tranſcripſit, cum immortalem eſſe animam in Phædone contendit, cum bonorum poſt hanc vitam præmia, malorum pœnas alibi deduxit. Ne plura cum prolixitatis incommodo recenſeam. Quid verò variæ, elegantis atq; iucundę eruditionis aſſertoribus faciemus? & iſti, ſi vlli alij, Principi benignitatis pleniſſimo accepti erunt. Nam vbi vberior ſeges amœnioris exercitationis reperienda? Cratylus inſpiciatur. Phędrus relegatur. Quandoque enim Catonianum ſupercilium eſt deponendum. Videatur primus atq; ſecundus Alcibiades. Singula quid memoro? omnis erudi-

tionis parentem Platonem appellauero. Iam verò eſt, quod ſapientiſſimi Patres, qui ſumma cũ laude diſciplinas in hoc celeberrimo Athenæo tradunt, hiláres exultent, dum audiunt Principem Sereniſſimum omni generi ſtudiorum eſſe addictum. eſt, quod ſtudioſa Iuuentus, quæ huc velut ad emporium bonarum artium hoc anno conuolauit, gaudeat, alacremq; operam ad audiendas prælectiones adferat, & ſedula manu domi ſcriptores inſignes legat, atq; cognoſcat. nam tanti Principis beneuolentia ijs, qui gnauiter culturæ ingenij præ alijs incubuerint, pręmia à Sereniſſimo Magno Duce, qui eruditorum hominum hodie in Italia ſummus eſt patronus, ſpondet, atq; pollicetur. Dixi.

DE

DE GLORIA GYMNASII PISANI

Oratio habita Cal. Nouembris. MDCXXXVI.

Illuſtriſſimo Viro
IACOBO GADDIO
Patritio Florentino,





T GESTIT tuæ ſe inferre domui, quæ Muſarum; Suadæq; ſedes eſt, hæc Oratio; felix dicenda, ſi adyta penetret Bibliothecæ tot libris, tot chartis, quæ nondum prodiere, diuitis. nec deſperat à te id impetrandum, qui hu-humaniſſimus es. Memorat namq; egregios Profeſſores, quibus gloriam acceptam fert celeberrimum Piſarum Lyceum. Tu verò Elogijs, quæ cum plauſu leguntur, non ſolis Tuſcis, ſed & reliquis Italis, quos inter Lauredanus, Caſonus, Pona, lucem ſcribendo fœneraris. Frontem igitur, viſa Oratione, quæ tota in co mmendanda doctorum hominum virtute occupatur, exporriges. Dabam Florent. Id. Octobris M. DC. XXXVIII.

Feli-

Elicitatis cum ſit pars non exigua ſua bona noſſe, & quid cœlo acceptum ſit referendum, perpendere, nobis, qui in hoc Academico theatro aut docemus, aut diſcimus, quanta ſit gymnaſij noſtri gloria, nefas fuerit ignorare. quod à me non ea de cauſa profertur quaſi vos, Auditores, res adeò clara, omniumq; ſenſibus expoſita lateat, ſed quia intelligitis par eſſe, vt de Etruſco Athenęo non ſolum magnificè ſentiamus, ſed & cur ita ſentiendum ſit; non tralatitia cogitatione in animũ dimittamus. id fiet percommodè ſi paulò diligentiùs, & ſingillatim ornamenta inclytę Academiæ memoremus, ac recenſeamus. Quamuis animaduertam non vnum è cœtu eorum, qui me auditum conuenerunt, tacite ex me quærere; num breui oratione ingentia Scholę Piſanæ decora putem poſſe comprehendi? Ego verò lubens faſſus fuerim amplitudinem prope immenſam intra limites huius dictionis nec debere, nec poſſe compelli. Vt tamen veſtro deſiderio, veſtręq; de me expectationi aliquatenus reſpondeam, atq; ſatisfaciam, in hoc felici ſtudiorum initio, e magna copia paruum inſtar

pro-

proponere, atq; deducere conabor. conabor, inquam, cum probè norim, quam ardua ſit prouincia, quam quis ſuſcipit, quando dicturus coram tot ſapientiſſimis viris, totq; acutis, & ingenioſis auditoribus ſedem hanc conſcendit. Vnde verò iubeor ire, vt ſplendidos gloriæ ſuæ radios Gymnaſium Piſanum emittat, atq; diffundat? Illico ſcilicet oculis meis antiquitatis lumen ſeſe obijcit, vt nouerimus in hac vrbe cœpiſſe temporibus Lotharij imperatoris depelli diurunæ inſcitiæ noctem poſt obſcuritatem barbararũ legum affulgere Iuriſprudentiæ Romanæ amabilem diem. diem enim vocabo illum, diem æterna annalium memoria ſignatum, quo Piſanorum viuida virtus expugnata Amalphi vrbe veterum Iuris conſultorum aurea dicta, quæ Pandecten appellauerunt, huc attulit, vt deinceps iubente imperatore, rogante Mathildi, à doctiſſimo viro Irnerio ſtudioſæ iuuentuti explicarentur. Ergò quod hodie longè lateq; per Europam in ſcholis iura traduntur, Papinianus loquitur, Vlpianus non ſilet, Scæuola cognoſcitur, Africanus illuſtratur, id Piſis, vbi nos degimus, ab omnibus, qui rerum geſtarum non ſunt ignari acceptum refertur,

hic

hic nos instauratæ Philosophiæ laudem Parisiensibus non eripimus, aliosque commendari patimur, quod cœperint de veterum Patrum dictis more Scholastico disputare, dũmodò Pisæ Iuris Cæsarei palladium Reipublicę literarię largitæ esse dicantur. Sed parum illis fuit volumen tradidisse, nisi etiam in sinu suo fouissent eos, qui primi sententias tenebris inuolutas exposuerunt, illustrarunt, claras, atq; perspicuas reddiderunt. vidit nempe hæc vrbs Bartolum docentem, ab ipsius ore studiosa iuuentus admirationis plena pependit. quod mirum videri non debet. ante ipsum namq; qui ius Romanũ fuerant interpretati leui sanè opera Spartam suam ornauerant, tenuibus annotamentis contenti. Bartolus verò, cuius nomen hodieq; in subsellijs Iurisperitorum personat, via ante se non tentata incessit, de sensu legum iustas, grauesq; disputationes iniuit, sic deniq; se gessit, vt Iurisprudentiam profugam, iamq; tot seculis ignoratam liberali causa manu asseruerit, ab exilio reuocarit, iureq; postliminij conspiciendam præbuerit. Quid referam eos, qui leges Sacras ab Antistilibus Põtificibusq; latas in his scholis sic sunt interpretati, vt deinceps fas fue-

rit

rit de religiosis iuribus, magnificè respondere. Felinus profectò claritatem nominis, qua hodieq; illustris est, sub hoc cœlo est adeptus, in hoc lycéo est consecutus. doleo verò me cogi silentio non paucos inuoluere, qui laudandi forent, nisi breue temporis spatium, quo mihi dicendum est; desiderio meo intercederet. Soli Decio extollendo non vna clepsydra veniret impendenda. quem enim lapidem ipse non mouit, in quam partem non vertit animum, vt suo munere cum vtilitate discentium fungeretur? in subsellijs ingentia doctrinæ flumina diffudit. in puluere disputationi s acer adeò extitit, vt qui cum homine vellet congredi non facile esset inuenire. hinc factum vt ipsius operam nō sine certamine Principes Respublicæq; captarent, atq; ambirent. quod si ad Professores aliarum disciplinarum, quas Etrusci proceres in nostro Athenæo cum Iurisprudentia tradi voluerunt, non foret narratio transferenda, postquam de illis, qui cum Decio floruerunt, locutus essē, ad nostra tempora deuolutus Ripam extollerem, Martham commendarem, Massinum meritis laudibus decorarem. de Philippo autem Fachinæo eò lubentius verba haberem, quod

con-

controuerſiarum opus ab ipſo conſcriptum tā-to cum applauſu fuerit exceptum, vt decies, aut etiam pluries typographi id recuderint, atque euulgarint. Sed me vocant reliquæ artes, nec patiuntur Iuriſcōſultis diutiùs inhęrere. parum enimuerò fuiſſet Florentinæ potentię immortali ornamento Laurentio Medices iubere, vt hic iuri daretur operam, niſi alijs quoq; ſcientijs locum tribuiſſet. quod conſilium ſecutus Coſmus primus Etruſci fundator imperij poſt profligatum bellum, poſt depulſas turbas, ex vniuerſa Italia celebriores viros huc ad docendum allexit, effecitque vt Piſæ eſſent Sapientiæ, quę omnem cognitionē complectitur, emporium. Franciſcus porro Coſmi Filius paternum exemplum non neglexit, cum ipſe ſupra Principum morem eſſet eruditus. hinc ſeries regnandi excepit Ferdinandum, vt non minori lumine fulgeret in Etruria ſol ſcientiarum. at Coſmus Secundus regiam liberalitatem erga viros doctrina præſtantes exercuit. Cui ſic ſucceſſit Ferdinandus nec patri, nec vlli maiorum ſuorum ſecundus, vt dignitatem celèbris Athenæi magis ac magis augeat ſplèndidioremq; reddat. Quare ſic vos, Magnanimi Heroes, veneror, dum

hæc tempora intueor, & præteritos annos, qui seculum æquant memoria recolo, vt me doctissimorum hominum obliuio non capiat. Excusor verò si per singulos non eo, cum plerosq; in cõmentario de viris doctrina claris recensuerim. Continere tamen me non possum, quia ex ingenti numero aliquos singillatim appellem. Scilicet hic Portius de Philosophia & disserendo, & scribendo bene meruit. Borrus peripateticas sententias sic est amplexus, vt prę illis quæuis dogmata contẽnere non dubitaret. Cæsalpinus felicibus auspicijs librum philosophicum amisit, qui trans Alpes ad Germanos pertigit, innumerosq; ad legendum excitauit. Mainettus quoq; suis scriptis Aristotelem illustrare satégit. quod si Pappazonius, si Boscalius nihil ediderunt, at certè sua voce prouinciam, quam acceperunt, decorarunt. nam Bonamicus inter præcipuos peripateticos meruit numerari; cum subtiliter admodum atq; accuratè de motu, de alimento disseruerit doctissimasq; dissertationes in publicam lucem produxerit. nec sperni debet Aquilani liber licet mole paruus, quem de veterum philosophorum sententijs exarauit. post quem me rapiunt ad se se lumina, quibus cla-

claritatem imputat medicina. ſplendet adhuc in ſuo commentario Iachinus Emporienſis. Clariſſimus eſt Mercurialis in plurimis voluminibus. nec Fonſeca obſcurus eſt, & Guaſtauinus lucet inuita morte, quæ non ita pridem illum confecit. Vos ego complector clara nomina, vos ſuſpicio, de vobis loquor frequenter, dum ſinitis veſtræ gloriæ addi Gabrielem Fallopiũ Mutinenſem. Is enim in ſecandis hominum corporibus non pauca obſeruauit, quę Galeni, Veſalij, aliorumq; diligentiam præterierant. Agmen tandem ingens dant politiorum literarum myſtæ Cyriacus Strozza, Angelius Bargæus, Titius, Dempſterus. Nec in extremum locum reijciendus foret Bulengerus (poterat enim inter primos collocari) niſi etiam præſtantiſſimi cogerentur in ordine ſibi inuicem cedere, quia ſimul omnes dici nequeunt. Sed quò hæc omnia tendunt Auditores? vt excitemur ad labores, narrantur. ne dicamur degenerare à virtute, ad qua nobis eximij homines præiuerunt, proferuntur. Danda namque nobis opera eſt, vt poſteri, quiq; poſt nos hoc regno Academico potientur, habeant, quod de noſtra induſtria referant, poſſintque FERDINANDI

Y 2 SE-

SECVNDI, qui nos sua ingenti benignitate atq; liberalitate tuetur, tempora etiam studiorum nomine felicia appellare. Dixi.



IN NVPTIIS

Sereniss. Magni Ducis Etruriæ

FERDINANDI SECVNDI

& Serenissimæ

VICTORIÆ

Principis Vrbini


Anno M. DC. XXXVII.

173



Serenissimo Parmæ, & Placentiæ Duci

ODOARDO PRIMO





DIRE Deos fas non est absq: munusculo, & satis fuerit aliquid thuris inijcere aræ, vt hac saltem ratio ostendat, nos conari ipsorum maiestatem nostræ reddere tenuitati propitiam. Nec ego te (Serenissime Dux) ausus sum coram alloqui, priusquam parassem, quod submissi animi argumentum offerrem, In Nuptijs Serenissimi

ſimi Magni Ducis, quarum cauſa hoc tempore Etruriam tuo ſplendore illuſtrare voluiſti, ſunt exarati verſiculi, non ſublimes, quales ipſe diuino, & excelſo ingenio præditus quandoque dictaſti, ſed humiles, quos vires meæ perexiguæ depromere potuerunt. Cur tamen non ſperem Tuæ Celſitudini acceptos fore? ſaltem materies eos commendauerit, ſi elegantia deſtituuntur. vt nihil dicam de tua ingenti benignitate, quam nec tunc exuis, quando in caſtris ferox & magnanimus verſaris. Nempè doctrina, magnaq; rerum cognitio tuæ vnius mentis magnitudine & celeritate digna, à pia beneuolaq. propenſione in eos, qui litteras profitentur, nullo temporis abeſſe nouit momento.

ODE

O D E




RBEM vniuerſum Fama volatili
Peruade greſſu. trans iuga montium,
Trans Alpium migra cacumen.
I cita trans vada ſalſa Nerei.
Vbique magnum Magnanimi Ducis
Extolle nomen. Differ Etruriæ
Feſtas dies, feſtamque pompam,
Lætitię inſolitum apparatum.
Mirentur omnes Regia gaudia,
Aulęque Tuſcæ non vice ſimplici
Narrent faces, & iuſſa narrent,
Romulei ſpecimen Theatri.
Quæ Flora nunc ſpectacula non dedit?
Conſtruxit audax pegmata, machinas,
Scenas rotauit, mira cuncta,
Altiſono memoranda verſu.
Quis credat? Ætnam vidimus igneos
Nimbos vomentem. Tardipedis Dei
Suſpeximus Brontem miniſtrum,
Et ſocij Steropis laborem.

Hinc trux Gradiuus prælia miſcuit,
Secum cateruas belligeras trahens.
Greſſum tulit Neptunus, vndas,
Oceaniquè ciens fluenta.
Diana ſyluas exhibuit, dedit
Sedes amœnas Diua potens Cypri,
Et mella diffudit canendo
Vox teneris animata Cygnis.
Oſtendit æther Cœlicolas, Pater
E ſede Diuùm ſtellifera annuens
Latum per orbem iuſſit ire
Mercurium, & bona verba fari.
Dum FERDINANDVS Dux ſapiens, pius
Sibi pudicis iungit amoribus
VICTORIAM, quam cum Metauro
Nunc hilaris veneratur Arnus.
Quam pulchra forma eſt! quamq; oculis micat.
Nam vindicauit tres Charites ſibi.
In ore fert Suadæ loquelas.
Ingenij celer eſt vigore.
Ab auſpicato principio Polus
Spondere quid non poſſit Etruriæ,
VICTORIAE ſi Sponſa gaudet
Nomine, & Auſpicio ſecundo?



DE CERTAMINE,

& decursione equestri, quam in Magno Theatro exhibuit Serenissimus Magnus Dux.



LÆta tibi nunc Flora fauet Torquate, tuumque
Ingeminat carmen, toto plaudente Theatro.
Exhibet Armidam, qua non fuit aptior vlla
Pectora flammiferi telo percellere Amoris.
Vt redit à Tasso, vt concentibus æthera pulsat.
Seu lubeat radijs oculorum corda ferire,
Vrit Eberhardum, lateque incendia spargit.
Dulcia seù tenero diffundat verba palato,
Corripit Eusthatium, & captiuum in vincula ducit.
Detinet inuictos equites dulcedine vocis.
Hùc illucque tumens vehitur comitante caterua
Magnanimũ Heroũ. quos non Regina triumphet,

Vis formæ, gratusq; lepos, & gratia fandi?
Omnia in Armidam properant, victricia signa
Circumfert Armida, hilaris visura Damascum.
Quò Bellatores ruitis? quo turbine rapti
Iratos agitatis equos? furor omnia miscet,
Conglomeratq; agmē. celeres tubus euomit ignes,
Sulphureas glandes, crepitantis fulminis instar.
Stringuntur gladij. Dubijs Mars errat in armis,
Nescius Eusthatij turmas, an castra sequatur
Fortis Eberhardi. quamuis te tegmine celes
Carole, te prohibet tua vis radiata latere.
Armidæ crudelis amor, vel sæuior ipsis
Fluctibus Ægęi. num tot thoracas ahenos
Perfundi sudore sines, certamen iniquum
Ibit in obscuras te subridente tenebras?
O fallax pietatis opus, fallacia iussa
Fœminei ingenij. crudeli pace sequestra
Sic dirimis pugnam, vt lasso discrimine longo
Compedibus vinctos ad cæca palatia trudas.
Abde Duces Armida tuos, adamante catenas,
Et portas chalybe obfirma, mox germen olympi,
Sanctus Amor, Deus innocuus, digressus amœno
Mediceæ luco Florę, spectantibus astris,
Auspice Fernando confringet subdola tecta.
Vt pedicas exuti Equites, generosa caterua,

Tutam


Tutam in amicitiam pergant, fœduſque perenne.
Hinc agitant choreas, quas Lariſſęus Achilles
Theſſaliæ in campis didicit Chirone Magiſtro.
Aut quas Æacidæ natus poſt Troica fata
Inuexit Macedùm terris, docuitque Pelaſgos.
Quam cuperet nunc Elyſio decedere prato,
Et ludos renouare ſuos, dum pegmate ab alto
Facta Virùm læto Victoria lumine luſtrat.

DE FACIBVS INNVMERIS, quæ Theatrum illuſtrabant,

FAx, illa, quam Fernande, ventilat tibi
Pudica Amorum mater, vt clarè nitet,
Vt vincit illunes tenèbras, diſſipans
Splendore puro noctem. vt auget vndique
Magnum Theatrum luce, quę diem queat,
Ipſumque Solem prouocare lumine.
Nempè illa flamma, qua tuum pectus calet,
Accendit innumeras faces, læta hinc Venus,
Venus pudica, cernit exemplo tuo
Caſti calere flamma Amoris cæteros.

CVM FLANTE VENTO dilatum esset certamen in sequentem diem.

DIuorum si tota cohors inuisere gaudet
   Regis Etrusci celsa palatia,
Dum parat illustres ludos, spectacula mira,
   Queis hilaretur Feltria Sponsa:
Æolus exclusus Flora cur solus abesset?
   Ergo pernix approperauit.
Ast ne Aquilo tędas difflaret, nocte secuta
   Se repressit carcere cæco.
Felix, *F*ernande, est pietas tua, cura Deorum,
   Seu veniant tibi, seu tibi desint.



GRATVLATIONIS INTERVALLA,

PRINCIPI

IOHANNI CAROLO AB ETRVRIA,

Cum ipſum Hiſpaniarum Indiarumque Rex Catholicus,

PHILLIPPVS IV.

Suis Claſſibus ſummo cum Imperio præfeciſſet,

OBLATA

Anno M.DC.XXXVIII. Menſe Septembri.

DE IVDICIO CATH. REGIS

Approbantis virtutem Serenissimi PRINCIPIS.

INTERVALLVM. I.

VIS tibi non promptus punctum ferat, inclyte Princeps?
Quis non extollat nomen ad astra tuum?
Regali quis non pia porrigat oscula vesti?
Quis non Heroem CAROLE te memoret?
Si Rex maiorem, quo Sol non cernit in orbe,
Si Rex, qui Reges maximus anteuolat,
Te, qui magnanimus tota virtute refulges,
Frænandis tribuit fluctibus Ionijs,
Quin ipsum Oceanum lata ditione tenendum
Largitur lætus munere Regifico.

De

De Affinitate nominis Iohannis cum Iano.

INTERV. II.

SI se bifrontis iactat qui nomine Ianus,
A' tergo vigilans, anteriora videt:
Tu Iano maior, populos, præfectus aquarum,
Prospicis Eoos, prospicis occiduos.

De significatu Germanico nominis CAROLI.

INTERV. III.

CAROLVS haud quicquam plebeium nomine signat,
Sic vir Germanis dicitur impauidus.
CAROLVS imbellem iubet hinc migrare timorem,
Dux ad veliuolum dum parat ire mare,
Siuè animæ insurgant Eurorum, & carbasa turbent,
Seu scopuli obrepant, insidiasq; struant,
Nerea seu fundo Neptunus vertat ab imo,
Et mortem intentet fluctibus horribilem,
Seu trux occurrat Thracum ardor, & horridus arma
Expediat, replens aera fulminibus,

CAROLVS haud vnquam ſcit concuſsiſſe pauore
Firmum animum, quo nil firmius eſſe poteſt.
Principis ergo inter trepidos diſrumpitur hoſtes,
Atq; Duci ſubdit colla repreſſa Timor.

De Immenſa Gloria rei maritimæ, quæ manet Principem.

INTER V. IV.

QVIS tibi præſcribat metas, quis limite frænet
Virtutem, ò PRINCEPS, qua radiante micas?
Phœbus in extremis currum licet abluat vndis,
Laſſus cum feſſis & ſtabuletur equis,
Quà Gades, Abylam, & Calpen labor Herculis ornat,
Quàque iter Herois celſa columna notat,
Non intra ſtabula hæc, Princeps, non montibus iſtis
Sceptriger includi Rex tua facta ſinit.
Laxat in Athlantem munitam robore mentem,
Et cupidis reſerat motibus Oceanum.
Seu lubeat Gallorum oras legere, & fixiſſe trophæa,
Quæ Celtæ haud læto lumine conſpiciant.
Seu Batauum penetrare ſinum, & terrore replere
Littora Fliſſingæ, littora Texeliæ,

Siue

Siue ferat mens impatiens tentare Britannos,
Non vi, non Marte; aſt fœdere pacifico,
Seu memorandus amor laudis, generoſa cupido,
Malacham, atq; Goam te tetigiſſe velit,
Braſiliæ vt victor regione, & diuite terra
Sollicitos poſſis pellere Naſſauios,
Cuncta tuo, pugnax Heros, lætiſſima proſtant
Imperio, parent nautæ ratiſq; tibi.

Excitantur Piſani ad veterem rei maritimæ gloriam.

INTERV. V.

PRoſilite ò Ciues, Piſææ robora pubis,
Proſilite audaces, arripite arma citi,
Iam decus antiquum fas eſt reparare per vndas,
Atq; Arno Oceanum conciliare Patrem.
Vos virtute ſua, & generoſi pectoris ira,
CAROLVS in Thracas prouocat, & Numidas,
Queis tandem domitis ſpolia ampla referre licebit,
Et rapta Etruſcis figere ſigna tholis.
Pons ruit antiquus, ſolitus ſimulacra duelli
Ferre, nec hoſtiles perterebrare acies.
Nunc opus eſt pugna haud ficta, certamen initur
Cum leuibus Mauris, fœdifragiſq; Scythis.

Ergo animum induite, ò Iuuenes, Duce Principe, fortē,
Gloria nam tantis vos manet auspicijs.

AD LIVOREM.

De vinculo Sanguinis, quo Serenissimi Magni Duces Etruriæ, & Principes deuinguntur cum Augusta potentissimaque domo Austriaca tam Hispanica, quam Germanica.

PVsille Liuor, cur colore plumbeo
Frontem inficis? cur contrahis mœstus cutem?
Cur o misselle, cur taces? mussans paues,
Totusq; cornicaris, & rodis duce
Rabie, indicemq; pollicemq; turbidus?
Viduare barbam cur nigris potes pilis?
Cur abstines cibis? & angulos petis,
Latebrisq; gaudes? cur diem verti cupis
Phlegethontis impij in tenebras tetricas?
Cur ambulas quandoq; Mænadum in modum
Furore percitus graui? pulsas solum?
Silentio quamuis dolorem inuoluere
Coneris, attamen tacente te dolor
Erumpit, & clamat: Fremit, frendit, gemit.

Liuor miſer, dum Rex Iberiæ fauet
Regali Etruriæ, potenti Etruriæ,
Nexæ perenni amore, nexæ ſanguinis
Nodo perenni, cum Domo, quæ Cæſares
Serie beata Teutonum dat glorię.
O ter miſelle, fuſce liuor, iam tibi
Fletum polus parauit iratus nouum,
Nam Rex Iberiæ, Philippus Carolum
(Miſelle Liuor, fle, miſelle) claſſibus
Vtrumq; per regnum Amphitrites præficit.

In Funere

FRANCISCI

PRINCIPIS AB ETRVRIA

FERDINANDI II.

MAGNI DVCIS

FRATRIS.

Anno M. DC.XXXVI. Mense Iulio.

FLORES SPARGVNTVR ad tumulum.

NAiades ingenuæ, & Dryades, pictæq; Napęę,
Quę sacros colitis lucos, saltusq, profundos,
Quæ Tuscos lustratis agros, quæ Numine leni
Asseritis colles, Floræq; inuisitis arua,
Quicquid Nympharũ est vsquã quà labitur Arnus,
Huc celeri properate gradu, mora nulla moretur
Præcipites passus, calathis sed lilia plenis
Dextra ferat, mollesq; rosas, blandosq; Hyacinthos.
Non desint violæ, non purpurei Narcissi,
Quicquid in irriguis pratis, vel vernat in hortis,
Conficiat varium nimbum, luxumq; comantem,
Vt FRANCISCI animam illustrem, manesq; merẽtes
Lugubri accumulent dono. fuit ille decorus
Flos teneræ ætatis flos nectareus virtutis
Flos longa annorum serie dignusq; vigore
Grandæuo, at cito Flos Tuscis defloruit iste,
Immiti gelidæ mortis succisus aratro.
Nempe hominum vitam sic versat flebile Fatum,
Pulchricoma vt quicquid pompa florere videtur,
Ilicet inuidia sortis defloreat orbi.

De

De florum defectu.

OMNIA nunc arent, nunc sicco in puluere Nymphæ
Languidulæ latitant.
Dum canis allatrat campos, sæuiq; Leonis
Cauda flagellat agros,
Floriferis gratus pratis subducitur humor,
Floraq; deflet opes.
Frustra quæruntur flores in vallibus imis.
Quid facies tumulo,
Si desunt violę, cum purpureo narcisso,
Idaliaquæ rosa?
Scilicet vt cecidit Tuscæ flos inclitus aulæ,
Omne decus perijt,
Quo pallent violæ, quo candida lilia vernant,
Quo rosa pulchra rubet.

De Floribus nascentibus è tumulo.

MORTVVS an Princeps merito cariturus honore est,
Ad tumulum flores spargere si nequeas?
Non hoc imbriferæ regnator fuerit aulæ,
Cui cordi Flora est Mediceumq; genus.
Æstibus in medijs dimittet ab æthere nimbum,
Molliter vt roret, quod tegit ossa, solum.

Pro-

Protinus hinc pariet tellus madefacta hyacinthos,
Narcissosq; leues, purpureasq; rosas.

De Morte fraudulenta.

QVEM nequijt Bellona grauis per mille pericla
Gradiui dubio spargentis in agmine cædes
Inuicta spoliare anima, & vitalibus auris,
Huic Mors insidias fera per contagia struxit,
Et iuuenem impauidum percussit vulnere cęco.
Sic quos per pugnam campo prosternere aperto
Non valet, infida sine bello conficit arte.

De obsidione Ratisponæ luctuosa.

COLLES amænos linquere sustines
FRANCISCE, gentis Mediceę decus,
Formosa regnatricis vrbis
Spernere non dubitas vireta,
Quali cor ardens se stimulis ciet.
Demit quietem laudis amor vigil.
Quò non vehit curas calentes
Gloria pennifero meatu?
Sed plebs repugnat, dum videt immori
Cœpto feroci magnanimos viros.

Blandæ voluptatis renarrat
Commoda, ſomniculoſq, molles,
Largaſq; menſas, miſtaq; pocula,
Riſum petulcum, blanditias ioci,
Et quicquid adfert corda mulcens
Vitigenæ domini iuuenta.
Heu dicta veri neſcia, quæ gregem
Inſanientem decipiunt vafro
Inuento, & inuoluunt profundo
Indocilem exitio cateruam.
Illuſtre lumen mentibus inſitum,
Nos has in auras cum veheret dies,
Præclara laudat facta, & offert
Eximij titulos honoris.
Ne muta tellus, quæ cinerem tegit,
Furuis tenebris obruat inclitum
Nomen. viget poſt funus atrum
Carminibus celebrata virtus.
FRANCISCE in hoſtem non vice ſimplici
Sæuum impuliſti quadrupedem, & ferox
Multos coegiſti pauentes
Aufugere ad ſtygios receſſus.
Cum Rex petitus ſulfureo globo
Guſtauus ingens concidit ex equo,
Lapſuſq; perfudit cruore

Lut-

Lutza tuos memoranda campos.
Contemnis Heros Tuſce pericula,
Dum Regì adhæres Pannonio, & premis
Muros Ratiſponæ obſtinatos.
O validum obſidij apparatum!
Si iuſſa tandem Cæſaris accipit,
Æquata terræ mœnia dum videt,
Vrbs, quam tot armatæ cohortes
Aſſerere haud potuere preſſam.
Sed luctuoſa eſt lætitia, & Daphne
Quæ ſe cupreſſo funerea implicat.
Sic exaratur laureata
Littera, vt ingeminet dolorem
Curis Etruſcis? Nam tua ſtamina
FRANCISCE Princeps trux lacheſis ſcidit.
Hæc fama funeſtat triumphum,
Cladeq; luctifica Viennam
Inceſtat ipſam. ſcilicet inficit
Iucunda mœror gaudia turbidus,
Erratiles vt per tot annos
Vix hilaret mera nos voluptas.

Votum pro Principe MATTHIA post obitum FRATRIS.

QVANDOQVIDEM viſum eſt ſuperis, educere terra,
Aſtriferoq; polo
Addere FRANCISCVM, quò ſe iactabat alumno
Flora Ducum genitrix,
Quos Iuueni inuidit fati furor inuidus annos,
Et meritam ſeriem
Armigerę ætatis, MATTHIÆ munera donet
Cura benigna Iouis.
Quis neget hæc Fratri deberi, quando paterna
Ambo abiere domo,
Ambo ducentes genus alto à ſanguine Regum,
Auſtriacas Aquilas,
Signaq; FERNANDI ſunt acri corde ſecuti?
Sed pede mors celeri
Vnius oppreſſit bellis accommoda membra,
Intrepidumq; caput.
Quò magis optamus ſit feliciſſimus alter,
Et geminet numerum
Palmarum, inq; ſolo hoſtili manſura trophęa
Erigat, vt volitet

Per

Per linguas hominum, miſſaq; in ſecula fama
Materiem properet
Illuſtri dignam hiſtoria, doctaq; papiro
Carminis Aonij.
Sic quà ſol currum profert, lucemq; reponit,
Pectoris impauidi
Geſta canet Dea, quæ venturi temporis vmbras
Obliuioſas deſijcit.



IN OBITVM
REGINÆ
POLONORVM
ODE

Anno M. DC. XXXI.

SERENISSIMÆ MARIÆ MAGDALENÆ
ARCHIDVCI AVSTRIÆ,
Magni Ducis Etruriæ Matri.



Ar eſt, vt te lugente, quotquot in Etruria viuimus, lacrymas fundamus. quibus enim publicè perpetuam prę ſtas lætitiam, quando priuatim doles ob immaturum Sororis, Heroinæ non interituris laudibus digniſſimæ, obitum, in ſocietatem luctus veniamus neceſſe eſt. Ac ſane mihi fuit nefas non triſtari, quando ob recens beneficium ſum obſtrictus. Cum enim nuper ad te deducerem præſtantem Medicum, & Mathematicum Rotgerum Emſingium, rogaremque, vt tuo iuſſu reciperetur inter eos, qui medicinam faciunt in celeberrimò Xenodochio, quod eſt ad D. Marię Nouæ, & honorifico aluntur ſtipendio, tu illico precibus annuiſti. quapropter me plurimum debere tuæ benignitati fateor, & quando, dum hæc vrbs ad triſtitiam ob mortem Reginæ Polonorum componitur, oden conſcripſi, eam ſub tuo inclyto nomine in publicam lucem profero.

Dabam Florentiæ Prid. Cal. Septembr. MDCXXXI.

Dum


Vm Sarmatarum Viſtula lacrymis
Augetur vdis, dumque nouiſſimo
Plauſtro Bootæ iuncta tellus
Funereum ſtruit apparatum:
Mœrentem ad Arnum nos quoq; flebiles,
Ferale munus, ſollicitant modi:
Induta pullam Flora veſtem
Reſpuit æthereum colorem.
Te triſte telo quod propero obruit
REGINA, fatum luctibus inclytam
Etruriam replet, pioq;
Pectore lætitiam repellit.
Quem non timoris concutiat ſtupor?
Quis iam reponat mortis imaginem?
Quando per orbem fama narrat,
Quod potuit Dea funerari?
Nam quis Dearum te neget è choro?
Cœleſte nomen quis tibi deterat?
Quas priſca mirabatur ætas
Tu poteras ſuperare cunctas.
Iactatur illis ſi genus à Ioue,
Quem Creta tandem ſed modico lare
Eſt paſſa Regem, quando natus
Depulit imperio parentem:
Te ſanguis altus, te domus AVSTRIÆ

Dias

Dias in auras germen olympicum,
Quando aſtra naſcenti fauebant,
Protulit auſpicijs ſecundis.
Pars Creta mundi quantula dicitur?
Vtrumque ſidus ſed colit AVSTRIOS,
Quà ſol ab Indis ſurgit, & quà
Fulget in occiduo cubili.
Dicenda forti ſemper Iberię
Hæc eſt Nepotum gloria CAROLE,
Quæ nullius latè imperantis
Sceptrigeras decorauit artes.
Sed ſtirpis ingens quid tibi profuit
REGINA fulgor? letifera manu
Te furua talem Iuno ramum
Arbore ab AVSTRIAICA reuulſit.
An magna Virtus non potuit tibi
Duxiſſe longum ſtamen? inhorruit
Inuicta Gens, cum tres puellæ
Aurea diſſoluëre fila.
Vt vota tollunt effera, dum vident
Somno obuolutam perpetuo. an iacet,
Quæ bellicoſo longum in æuum
Digna fuit populo intereſſe?
Vt te Trionum magnanimam gelu
Vidit, Gradiuus cum fremeret, ciens

Ciuile bellum, quando Erynnis
Intulit horribilem tumultum.
Dum Rex in hoſtem duceret agmina,
Fractumque Moſchum pelleret arcibus,
Vtramq; tollens palmam olympo,
Auxilium facile aduocabas.
Creuere Thracum ſanguine flumina,
Cum plenus iræ iam ſibi Regiam
Sponderet Oſmannus, ſupremo
Cracouiam exitio daturus.
Greſſus profanos ſed tulit illicò,
Præceps vocabat quò timor, & fames.
Sic tot cateruis trux in auras
Impetus æoltas abiuit.
Olim hæc fuerunt. nænia nunc manet.
Nunc integrandum carmen, vt horridus
Veſpillo REGINAM dolendo
Exanimem impoſuit feretro.

FVNVS ACERBVM.
Carmen.

De immatura quorundam Principum morte.

AGitur de obitu Germanici Cæſaris, Oſmanni Turcarum Imperatoris, Alexandri Magni, Marcelli, Lucij, & Caij, Titi Imperatoris, Alexandri Seueri, Ludouici Pannoniæ Regis. Henrici, filij Iacobi Regis Magnę Britanniæ. Caroli fratris Regis Philippi IV. Leopoldi Archiducis Auſtriæ.

EST Lamius, quem iam ferit octogeſima meſſis,
Diues agris, & pecoris, dum numos arca flagellat.
At plures lucro expoſitos nouere Calendæ.
Is pulchra nati egregij virtute fouebat
Annoſum ſenium. decus acclinabat in illum
Venturi generis. geniale cubile parabat.
Aſt ſuperis, quos ſæpe iuuat deludere auaras
Spes hominum, viſum eſt tam iuſta auertere vota.
Inuaſit Iuuenem febris, tetroq; calore
Depaſta eſt artus, & ſæuo funere merſit.
Siccine vir tremulus ſupereſt, cui vitrea ſepes
Circundat dubios oculos, at filius atro
Elatus feretro, tumuli gaudebit honore?

Num Cœlo par eſt rigidam impegiſſe querelam?
Humani generis ſi diuos prouida cura
Sollicitat, tenera annorum cur concidit ætas,
Porrigiturq; ſeni vitę miſeranda voluptas?
Hic qui ſe riguo ſenior Gargettius horto
Iactat, & ignauo Cœleſtes claudit olympo,
Veridicum mole hac ſcitum velut ariete quaſſat.
Romulei Vates quoties vir faſcibus auctus,
Aut Sophia antiſtans, celerata morte periret,
Nullos eſſe deos clamabant. Naſo Tibullum
Ignibus impoſitum cum cerneret, illicò tales
(Cognita res vulgo) diffudit in aëra voces.
Palpum caluitio dum blanda laude Neronis
Bilbilicus vates obtrudit, Principe ſaluo
Eſſe deos credit. Sic cum prope Tyburis arces
Impete præcipiti ſublimia tecta ruiſſent,
Sęuaq; vitaſſet diſcrimina magnus amicus,
Orbis tutelam Marcus pia Numina adorat,
Horriſono ſed ſi lapſu foret obrutus, anceps
Ipſe foret, vel differrent conuitia Olympum,
Delitię populi, dignus traducere vitam
In ſenium, ſpes imperij Germanicus vna,
Plantina immani ſcelere, infandaq; Tyranni
Fraude obijt; quod cum vulgaſſet fama per vrbem,
Thurificas diuorum aras plebs Romula fregit,
Sub-

Submouitque lares, maledictaq; iecit in æthram.
Odryfiæ lumen Lunæ se carcere cœco
Occulere optauit, cum corda ferocia gestans
Osmannus duriq; trahens fera munera Martis,
Perfidia perijt gentis, quæ nescia belli
Mustafam imposuit solio, plenumq; pauoris
Induperatorem læto diademate cinxit.
Bis tria compleras Macedùm fortissime ductor
Lustra, gelu lymphæ, dextræ libamen amicæ,
Cum tua in æternam detrusit lumina noctem.
Gemmanti Anchises in prato deflet alumnum
Dardaniȩ columen Romæ, nisi dona negasset
Esse rata ætherei Iouis irreuocabile verbum,
Hinc violas, & narcissos, & lilia plenis
Commiscet calathis, & fletu mœstus oborto
Non audituros compellat carmine Manes.
Quam felix Auguste fores, numeroq; beatus
Innumero, nisi quos sceptro duo germina Agrippȩ
Spes erat euehere, abreptos florente iuuenta
Luxisses, hilarans vxoris liuida vota.
Infandi sceleris vindex, cui diues Idume
Arbustum omne dedit palmarum, stamina vitæ
Abscindi multùm queritur, plagulisq; remotis
Lecticæ, aspiciens cœlum, nil tale merenti
Ante diem, exclamat, Superi subducitis annos.

Quid

Quid mage compoſitum fieri, diciq; Seuero
Debuit, aut potuit, poſt magni fata Catonis,
Poſt Curium, ſanctumq; Numam? tamẽ ante Tyranni
Ora probus cecidit Iuuenis, fuſoq; cruore
Ceu ſacra placauit furioſas victima turmas.
Pannoniam ſcidit in partes maleſuada cupido
Regnandi, poſtquam is, cui vix lanugo tegebat
Purpureas malas ſe fœda vligine turpem
Vidit, & ingemuit Solimanni vrgente furore.
Viuida Iacobi proles mittebat in omnes
Europæ partes animum. nunc proxima crudos
Gallia vertebat ſtimulos, victrixq; Caletos
Oſtentans, nimio belli accendebat amore.
Hinc noua vicini ſuadebant fœdera Belgæ,
Sic parituras Gades, Calpenq; Abylamq;
Et Tarteſſiacos, ſolis ſtabula inclyta, fines.
Æſtuat Henricus voluens audacia cœpta.
Mox ſæuas in fila manus trux inijcit ira
Parcarum, & cupidis telam conatibus aufert.
Quid memorem Caroli cineres, cui Regis Iberi
Germano inferias ſoluerunt flebile munus
Centum vrbes centum regna. heu miſeranda parentis,
Si ſuper ipſe foret, ſpecies, pietaſq; Philippi.
Tuq. adeò Leopolde iaces, fruſtraq. iacentem
Oeni auctæ inclamant vndæ, licet effera, Sueci,

Pecto-

Pectora pertentent latè loca, Lindauioq.
Immineant, Cellamq; regant, Boiosq. lacessant:
Tu tamen obductus fusci velamine lethi
Non potes hostiles campo depellere turmas.
Lassatus sed lector, ohe, nunc ingerit ingens
Ne tumeat carmen, quali se mole trahebat
Cæsaris Anticato, aut Scriptorum Cyclica charta.
Siue hominem fatum florenti subtrahat æuo,
Seu Pylij tria secla senis transmittere donet.
Ad tumulum à cunis licet infans lumine cassus
Hinc abeat, medij viuax seu temporis ætas
Cæcæ lethifera mortis defecerit vmbra,
Rem tanti Sophie haud facit, vt quis palleat expers
Somni, oculis terram figat, trutinetq; labello
Democriti tremulum risum, lacsymasq; Heracliti.
Grande Sophos, repetamus, ait lex lucida veri.
Nam foliorum instar veniunt in luminis auras
Mortales, Smyrna Clio si fonte perenni
Perspicuos fundit riuos. discrimine nullo
Funera densantur tranquilli ad fluminis vndas.
Mors foribus dextram impingit, seu paupere tecto
Et casula dormit Codrus, seu fulgor ab auro
Atria perstringit Regis, quem mille tuentur
Armigeri, & stipant proceres, sanctusq, Senatus.
Ergò auidam nostris qui iam sermonibus aurem
Apta-

Apcasti, sic viue hodie quasi crastina summam
Sit latura dies lucem; sic læta vicissim
Tempora dinumera, quasi nunquam turbidus ordo
Funereum extincto sit compositurus aceruum.



IN MAGNAS TRIREMES ETRVSCAS.

IN MAGNAM TRIREMEM primum emissam.

ABstulit exiguum phryxei velleris aurum,
Arietis exuuias, Argo, cui sylua Tonantis
Fatidicam aggessit tabulam, quercumque loquacem.
Quam tenuis labor hic fuit, eripuisse Tyranno
Colchorum, pellem pendentem è vertice templi,
Quod Gradiue pater tibi Thracia rite sacrarat.
Clara tamen nauis cursu feliciter acto,
Quæ Iuuenem Æsonium duxit, prolemq; Deorum,
Astrifero tandem iussa est considere olympo.
Dij maris Etrusci, atq; Deæ Nereides omnes
Certatim vndisono ceruicem extollite ponto.
Maius opus magni molitur Regia cura
FERNANDI, quo non præstantior extitit vllus
Inter Mediceos Reges, queis paruit Arnus.
Olli Appenninus decreuit frondibus, ingens
In tabulas dum puppis abit, dum vela parantur
Attulit excultum generosa Batauia linum.

O qualis tibi, qnæ ſuperas molimine cunctas,
Ambracij ex ſpolijs portus nunc præda paratur
Auſpice Neptuno, Neptutineq; ſecunda.
Ac iam dum vada ſalſa leui percurrere greſſu
Incipis, horreſcunt famuli, trepidiq, morantur,
Si ſtupet Odryſius concuſſo pectore prædo.
Hinc poſtquam, generoſa ratis, te diuite gaza
Extuleris celebrem, trepidoſq. fugaueris hoſtes,
Aucto ſtellarum numero, clarabis olympum
Lumine, nimboſus, cui ſe ſubducat Orion.
Ambiguum verò eſt ſpatium, quod nobilis ordo
Apparat. an iam ſe doctæ ſtructura Mineruæ
Contrahit, vt ſociam communi ſidere ditet?
An, quà multifido iactat ſe Iupiter aſtro,
Splendebis, radijs Diuorum auctura parentem?

ALIVD IN EANDEM

IN mare dum tranſis fortunatiſſima puppis,
Vnanimi flantes tibi ventos Æolus aura
Deſtinat: at cantnm Sirenum Oeagrius Orphe us
Eleuat, & tuta nautas præteruehit aure.
Horribilem in Thraces Gradiuus concipit iram,
Dum parat Odryſio non vna clade Tiranno
Perniciem, & palmas funeſtat, flebile quondam.

Exi-

Exitium Europæ, & pulchræ fata horrida' Cypri.
Lętam Amphitrite diffuso lumine frontem
Porrigit, & presso componit gurgite Nereus
Horrisonos fluctus. quin tu Neptune tridentem
Inijcis, atq; vndas placidus toto ęquore sternis.
Magna sinum Thetis deducit. mater Amorum
Dijs ponti Etrusci iucundos excitat ignes.
Magnetem ex algente polo vicinior vrsa
Ambit, & ingentes vaga clarat Cinthia noctes.

IN SOCIAS TRIREMES

VENETO MORE CONSTRVCTAS.

PAtres potentes Adriæ, Triremium
Excogitauerunt opus
Inuisum Auis, imò Latinæ, & Atticæ
Incognitum solertiæ.
Id mole grandi in alta fertur æquora,
Et obuias puppes premit,
Pinusq; dissipat minutas, vt fores
Impactus aries deijcit.
Fugam capessit ilicet Maurus rapax
Si forte in illas incidat,
Pauidas biremes subtrahit certamini,
Pugnæq. iniquæ carbasa.

Id Leucadis ſinus loquetur poſteris,
Dum fida charta erit ſuper.
Narrans Selimi cladem, & obductam Thetin
Vndante Thracum ſanguine.
Venierius nunquam ſilendus ſeculis,
Æterna quæ ſol proferet,
Claſſem Tyranni terruit triremibus,
Quarum æmulatur gloriam
Nunc FERDINANDVS Rex Etruſcæ Regiæ,
Mariſq. Tyrrheni arbiter.
In hanc diem non viderat Nereus Ligus
Id nauium bellax genus.
Maiora ſed parentibus Dux inclytus
Molitus inuicta manu,
Voto eſt potitus, militaribus viris
Pinus regendas tradidit,
Toto vt latrones perſequantur ęquore,
Minois vt quondam rates
Nautis pericla depulerunt impigris,
Dextro gemello Caſtoris,
Tuti profundam vt Amphitriten currerent
Metu procul piratico.


DE PROPVGNACVLIS Liburnicis.

TEmporis obſcuri quid non rapit inuidus ordo?
Quid non ſenectus deterit?
Intereunt vrbes, moriuntur regna, diuq;
Durare quicquam ſors vetat.
Inclyta Troia fuit, fuit vrbs Argiua, Micęnę,
Vrbs Cecropis potens fuit.
Attamen antiqui ſedes memoranda Liburni
Hodieq. felix eſt ſuper.
Quin magis, atq. magis decus auget, & æthera pulſat
Fama ſuperbi nominis.
Olli FERNANDVS, celebri cognomine primus,
Excelſa propugnacula
Extulit, & portum valida circumdedit arce
Crebraq. turri munijt.
Vndiq. ſepoſitis concurrunt finibus orbis
Salum ſecantes nauitæ.
Huc Pœnus properat, Mauruſq., ſagaxq. Britannus,
Batauuſq. terror Gadium.
Non abſunt Arabes, non Nili potor amæni,
Moſchos & hic fas cernere eſt.
Omnes ſtructuram hanc, opus immortale Mineruæ,
Stupent, & auctorem vehunt,

Laude. nec interea FERNANDI facta SECVNDI
Taciti silent; quin inquiunt
Iam prope nomen Aui magno gaudere Nepoti
Primum locum concedere.

SFORTIAE PALLAVICINO MARCHIONI.

Referendario vtriusque Signaturæ.


SI quæris quid agat Gaudentius, ille tuorum
E numero quondã, cũ se mens conscia recti
Veridico poterat præsens sermone tueri.
Nunc tanti si forte tibi est, vt scire labores
Quas animo curas verset, quid pectore voluat,
Queis studijs vitam traducat tempore diro,
Quo nos tabificis fatum circumstrepit alis,
Audi, incomposito quæ narrat Epistola tractu.
Mane nouo quando rupere silentia galli,
Et vix dum fulget roseis aurora quadrigis,
Mollibus è stratis fuga me rapit illico somni.
Siccine torperem, exanimis ceu pondera terræ?
Hinc ad sideream sedem, flammantia templa
Protendo palmas, & magnum Numen adoro.
Dein veneror te Diua parens, Iesseia virgo,

Qua Duce, quę labis monumenta dolenda manebant,
Protinus exciderunt, referataq. Regia cœli eſt.
Si precibus mora longa foret, voti obuius ordo
Simplicitas, qualem mundi melioris origo
Indidit, & tractus terrarum fudit in omnes.
Mens bona, fas animi, corpus ſibi robore conſtans.
Non nimium res arcta domi, nec diuite cenſu
Surgere. Cœlicolas puris hæc ambio verbis.
Addo (nam meruit de me,) lętiſſima ſemper
PALLAVICINORVM Procerum ferat omina virtus.
Hinc fero continuò greſſus, quà lecta ſupellex
Librorum trahit ad doctæ ſacraria ſedis.
Dum cupidos oculorum orbes circumfero, & omnem
Partem vrgere lubet per tot diſcrimina veri,
Si quid forte mihi ſe de meliore metallo
Obtulerit, calamum inuado, quà ſepia lento
Nigra humore ſolet nitidam ſignare papyrum.
Hic menſæ innixus, duplici ſuſpendere lance
Dicta virûm ſoleo, nec ceu pars muta ſenatus
Quò video ſe ferre alios, properanter anhelo.
Addico nulli iurans mea puncta magiſtro.
Quid ratio admittat, rimor, quid regula ſenſus
Regula, quæ ſi falſa foret, motura cachinnos
Diffflueret ſophie, niſi quà cœleſtia iuſſa,
Quæ pleni quondam cecinerunt Numine Vates,
Hu-

Humanæ inijciunt ſuauiſſima vincula menti.
Hæc eſt libertas, quam Porticus illita medis,
Vmbriferæq. Academiæ largitur Alumnis
Conditor, ætherijs dum chartis luſtrat Athenas.
Ponere fas cuiq. eſt trutinam, librareq. pondus,
Cura etiam examen vigili deprendere fallax:
Poſtquam doctarum allectum dulcedine rerum
Quattuor horarum lapſu clepſydra fefellit,
Procedo, rectàq; pepes fero ad vrbis amœnum
Alphææ ſpatium, quà flauus labitur Arnus.
Sed quò ſcribendi excurrit dulciſſimus error?
Tollo manum è tabula, ne longa ambage morari
Te videar, qui nil niſi magna negotia tractas.

DE ALEX. MARCH. PALLAVICINO Sfortia Patre.

MAgnanimum ingenium, conſtans prudentia, rerum
Vſus, ALEXANDRI plurima ſunt decora.
Vnum præ reliquis referent monumenta Virorum,
Hoc Patre cum dicent Sfortiadem eſſe ſatum.

AD IOHANN. CIAMPOLVM Vrbani VIII. ab Epistolis.

CIampole Gaudenti resonat tibi litterã, salue.
Si tamẽ hoc nondũ per longa silentia nomen
Excidit, & memori dignaris mente Cliẽtẽ.
Nos trahimus trepidi fera per contagia vitam,
Quottidieq; nouos mortis spectare trimphos
Cogimur, & molli suspiria ducere corde.
Obliti quandoq; tamen miserabile vulgus;
Funeream obliti pompam, currumq; timendum,
Inserimus scriptis, olim quę forte supersint,
Pallauicinorum fasces, & fortia facta.
Dircęos canimus numeros, tua plectra, lyramq;,
Pindarus altiloquo Tuscus quam percutis ore.
Nec minus optamus mentis diuina reperta
Per populos latè volitent, meritura coronæ,
Vnde priùs nullum sophie velauit, honores.
Pars vtinam tandem cupidas referantur ad aures.
Aut folijs mandata fidelibus, ire per ora,
Ire queant doctorũ hominũ, quò commoda poscunt.
Plurima subducit diffusa obliuio fluxis
Sensibus, & fugiunt ceu tela volucria verba.
Vt votis faueas iustis placidissimus Arnus

Te rogat, inq; preces consurgunt Tybridis vndę,
Externis nunquam solitę sacra dona negare.

DE SFORTIA MARCHIONE Pallauicino.

AOnijs lymphis dum SFORTIA proluit ora,
Et vario ludens certamine Palladis artes
Tractauit, magnum potuit Florentia PICVM
Ciui Roma tuo dubia componere palma.
Nunc postquam templum Astręæ responsa daturus
Pallauicinus adit; victus Mirandula docti
Offert SFORTIADAE gemmantia sceptra senatus.

De Eodem.

AVsoniæ vertex, colles gaudete latini,
Tuq; pater Tybri lætius agmen age.
Sulpitios veteres, consummatosq; Catones
Æquat, dum legum SFORTIA iura refert.

DE

DE IVLIANO ARCHIEPISCOPO

PISARVM, SARDINIÆ, & Corſicæ Primate.

ET DE IOHANNE MARCH. SANCTI ANGELI.

RAPHAELIS MEDICIS FILIIS, Fratribus Germanis.

TE licet extremo in ſenio mors neſcia flecti
Abſtulerit RAPHAEL, & corpus lumine caſsũ
Terra tegat, Floræ quà labitur Arnus ad vrbem;
Non illo tamen vt cineres, ſic nominis inſtar
Æterni tumulo potuit componere Parca.
Quin tua magniloquo magis ac magis inclyta creſcit
Fama ſono. nunc immortali laude decorus
Interes Etruſcis populis, & ſecula vincis.
Dum qui te referunt, ſanguis tuus, & tua proles
Per gentes latè dant facta, ingentia facta,
Flammigeriq; micant ceu ſplendida tela diei.
Tabificum nuper cum Piſis horrida morbum

Eumenis incuteret, trucis inclemẽtia fati,
Et letum tristi premeret vestigia curru,
Quis cladem est Heros ausus se sistere contra?
Quis voluit tantis caput obiectare periclis?
Scilicet inuicto Præsul succensus amore,
Munificum imposuit pietas cui IVLIA nomen,
Præproperè accurrens, aurum auxiliare cateruæ
Ingessit trepidæ, & vitæ spem reddidit ægris.
Aspicis hæc RAPHAEL, celsoq; receptus Olympo,
Magnanimus frangit dum Natus spicula Pluti,
Elogij viridem gaudes tibi surgere laurum.
Illinc dum Martem impauidus labentibus annis
Ter decies sequitur per tot discrimina belli,
Cassida componens gratam FILIVS ALTER,
Tot numeras acies, queis se tulit obuius hosti.
Amphitheatralem cupido dedit alea prima
Ostendam Iuueni. quot ferri glandibus hausit
Area parua Duces, dum Nereus vndiq; fusis
Fluctibus insurgit, Batauosq; tuetur in vndis?
Auriacam sedem, cui quondam callidus hostis
Illusæ obrepsit deducti cespitis arte,
SPINVLA cum cuperet vallo circundare Bredam,
Huic fido exprompsit tantarum pondera rerum.
Cumq; sub occiduum spatium, regione profectus
Optata, iussu Regis properaret Iberi,

Insu-

Insubricis signis Casalis iturus ad arcem,
Te comitem acciuit turmis decus addite MEDDIX.
Quod si vera solent pręsagia fundere vates,
SPINVLA venturo quoties narrabitur æuo,
MEDDICE VM simul extollent monumēta Nepotũ.

EPIDAVRIVS PLANCTVS.

In obitum integerrimi, nobilissimiq; Viri Thomæ Cellesij, Archiepiscopi Ragusini.

Hexametrum Carmen

EGreginm pietatis opus CELLESIVS Heros
Concipit, & FRATRI sublimi mole sepulcrum
Pontifici educit, qui cum virtute micaret,
Doctrina, eloquioq; potens, sanctoq; recessu,
Morte immatura occubuit, terrasq; reliquit.
Pręsulis excessu generosa Liburnia luget,
Tristitiæq; modo funebri agitantur Epidæ,
Seu veteris malint Epidauri nomine dici.
Siccine (conclamant) discessit littore noto
Præses, vt antiquos viduaret Patre colonos?
Siccine dilectos natos probitate paterna
Destituet deinceps Antistes? Siccine Tuscas
Inuisit cupidus sedes, patriosq; penates,

Tri-

Triſtifico vt preſſus morbo, palloreq: languens
Concideret, noſtra non vltra adeundus in vrbe?
Illa dies lugenda venit, nigroq; notanda
Prodigio, illuni quæ excepit lumina nocte,
Eximiumq; virum letali funere merſit.
Vos quæ proſpicitis maria, & Neptunia regna
Nereides Nimphæ lacrimabile dicite carmen,
Dicite, & Oceanum mœſtis implete querelis.
Ipſa Amphitrite fluitantia pectora plangat,
Increpitet fluctus vlulatu, fundat ab ore
Luctificum melos, atq. vndas caligine mergat:
Nam quæ ſpondebat fore propria gaudia cœlum,
Queis celeri reducem puppi exciperemus ouantes,
Ingentem meritis THOMAM, priſcoq; nitentem
Sanguine, in æternum mœrorem merſa videre
Cogimur, vt molli ſuſpiria corde recurrant.
Heu fallacem hominum mentem, fallacia vota,
Molimenq. ſpei fallax. ſtant luce maligna
Obruta fatorum ſcita, expectataq. fama.
Ecce incredibilis nuper delapſus ad aures
Sermo omnem Italiam attonitam tenet. ille per orbē
Militiæ rutila face prodigialiter auctus
Valſtenius, qui tot legionum robore fretus
Cimbrorum Regem victum felicibus armis
Egerat ad latebras, qui priſca ſede Cheruſcos,
Saxo-

Saxonas illuſtres, patrio ſubmouerat Albi,
Et qui Pannoniæ regno victricia tela
Intulerat, Gaborem vt iurati vertice montis
Deijceret, cuius rapidis ſe Sueuia iuſſis
Subdiderat, Rhæti fuerant cui cedere viſi,
Alpinis tuti clauſtris. adituq; timendi:
Hic ipſe (ò ſeriem immutatam) Cæſaris ira
Præpropera preſſus, curaq. agitatus Ibera
Gordoni cecidit dextra, cæſuſq. bipenni
Singultantem animam tragico exhalauit hiatu.
Scilicet ex ima qui ſe tellure leuatum
Munere Fortunæ videt ad faſtigia ſceptri,
Æqua mente nequit tot honorum ferre nitelam,
Commodaq. auſpiciumq. armorum, & regia dicta,
Innocuos premit, indulget furialibus iris,
Induperatorem, cui credita ſumma poteſtas,
Aſpicit obliquis oculis, ſe milite munit,
Regales oſtentat opes, iurare Tribunos
In ſua verba iubet, ſeq. auſpice ſpernere leges.
Heu miſerum, infauſtumq. animi, cui ſæua merenti
Exitium Nemeſis parat, ireq. protinus, ire
Præcipitem cogit, ſtygiaq. recondier vmbra,
Trux vbi Minos, & Æacus, & Rhadamantus
Supplicia intentant ſonti, torquentq; ſceleſtum,
Qui tot apud ſuperos cæco dedit impete clades.

Fatum

Fatum aliud, longèq. alius manet exitus olim
Iuſtiſtia inſignes homines, qui iura dedere,
Vel tulerunt caſti Diuorum ſacra per vrbes,
Et genus humanum docuere arcana Tonantis.
Hos poſtquam curſu, quem dat natura, peracto
Deſtituit vita, e mortali corpore numen
Euocat, atq; animam rutilanti in ſede reponit.
Talis (quis dubitet?) redimitus fronde coronæ
Pontifici patuit cæleſtis Regia THOMÆ,
Omneſq; indigeti affulſerunt ætheris ignes.

DE CARDINALATV AVGVSTINI Oreggij.

DVM te purpureo circundat veſtis, OREGGI,
Vellere & Aeneadũ varius ferit athera plauſus,
Clio refert Patres, quos idem fulgor ab oſtro
Hiſtoriæ meritis annalibus intulit olim,
Atq. perennantis luſtrauit frondis honore.
Nam ſi vera lubet docta ratione fateri,
Inq. animi mentem dimittere myſtica dicta:
Hos rutili radios decoris ſibi vindicat alma
Templorum præſes Pietas, quæ numinis acta
Pandit, & aſtriferi ſecreta recludit Olympi.
Eſt aliquid Themidis dubios diſſoluere nodos,
Et

Et Masuri ancipitem contingere luce Rubricam,
Ingerere, hoc paret, sed non liquet illud, & hastam
Lurconis Nattæ domui præfigere, & agris,
Expers laudis opus non ausit dicere censor.
Est quoq. qui numos miretur, queis sibi conflat
Officia, & fasces Messalæ notá propago.
Exerto Cameram digito dum splendida monstrat
Curia, nec semper votum transmittit inane.
Suspirati alios consistere vertice montis
Efficiat solium, Regumq; verenda potestas,
Dum prece Pontificem expugnat, stringitq. fauorē.
Fax quoq. Fortunæ successus prosperet illos,
Quos humile obsequium donat, quos lōga ministrat
Annorum series, & pressa labore senectus.
Longè alios Cœlum dimittit sideris ignes
AEthereiq. diem fasti meliore lapillo
Cœlituum narrant aulæ, solemq. fatigant,
Quadrupedum fretum hinnitu, flammanteq. curru,
Sacrorum interpres quoties, veriq. Magistra
Relligio, Errorum domitrix, extollit alumnos,
Et doctas redimit frontes florente corona.
Scilicet hoc poscit pallor, dum pellere somnum
Cura sequax suadet, Sophięq. incendit amore.
Prędmia nox capiat chartis vigilata volutis,
Dum bona pars Procerum congesti ridet oliui

Sollicitas horas, inq. aurem ſtertit vtramq.
Dum Titan penetret rimas, flagretq. calore.
Ergo operis duri diſcrimine concita virtus
Ignaui generis gentem tabeſcere cernat,
Magnus ſi Myſtes, cui nunc Capitolia parent,
Poſtibus ignaros pellat, iubeatq. micare
Inter Romulei fulgentia ſigna ſenatus
Egregios homines, quos otia temnere vulgi
Iuuit, & aſſidua verſare volumina dextra.
Talem te AVGVSTINE, pijs complectitur vlnis
Roma Deùm ſedes, talem te ſuſcipit ingens
Gloria, & Vrbano perſoluit carmine grates.
At vero Vranie, è Regno delapſa Tonantis,
Pierio celebrat felicia tempora verſu,
Heſperiæ quæ te tām docta mente tulerunt.

BO-

BONA VERBA.
Carmen.

AD SFORTIAM PALLAVICINVM Vrbeueti Præſidem.
Anno M. DC. XXXIII.

FRuſtrà à ſe peti verſus in die ſolemni, nam Romam mitttere carmina, eſſe idem quod noctuas ferre Athenas. in eam rem plura proferuntur. laudantur Academici Humoriſtæ.



Vàm cuperem Patri Vrbano, dum ingreſſus ad aras
Feſta ſui repetit regni, bona dicere verba,
Totaque ab Aonio deducere Numina colle,
Quę Clarium intentant œſtrum, doctoq; furore
Correptum extollunt animum, vt dediſcat habenas,
Queis agitur ſtupor, & vulgus lentatur inane.
Sed celſo in ſolio, & fulgenti ſede repoſtus,
Vnde mare, & terras, atq. aurea proſpicit aſtra,
Imperij cuſtos magni, cur lumina noſtras
Flecteret ad nugas, leuibuſq. impenderet horis
Tempus ab occiduo nunquam reparabile lapſu?

Ille regit populos, & Palladis arbore miti
Ausonas exhilarat; siue angustare recuset
Adria fluctisonos fines, siue atra fauilla
Allobroge irato, in Ligures non euomat ignem,
Nec se plus nimio Ferrati Montis in arce
Francigena obfirmet miles, dum Martia pressam
Agmina in Alsatiam Ferius collustrat itura.
Consilia hæc decorent sceptrum, quod Romula rupes,
Rupes præcipitem nunquam sensura ruinam,
Vrbanæ ætherium dextræ gestamen adorat.
Nos Regnatoris glomerata negotia, curas
Non interstrepimus versu, lusuq; canoro.
Si tamen in carmen sit sollicitanda Camœna,
(Namq; operi dignam stipat Thymbræus Apollo
Materiem) quis ego, vt tantum concredere pondus
Ausim debilibus scapulis? non viribus ijsdem
Si me finxisset Titan, queis tempore Vatis
Capti oculis homines proceros terra gerebat,
Ingentem flexa molem ceruice subirem.
Nam moto haud aliter se splene cachinno cieret
Spectator, quàm si sponderet Pumilo saxum
Tollere, quod Telamone satus vibrauit in hostem.
Est opus, vt triuium ignoret, sanctoq. profanam
Limine submoueat plebem, si Pieris aures
Pontificis mulcere velit dulcedine cantus.

Ipse

Ipſe opifex reſono ſi quando pectine chordas
Impellit, Dirceniq. Heliconis temperat vndis:
AEgeriæ nemus ad veteres conſurgit honores,
Et greſſum accelerant Albano è vertice Diuæ,
Quæ cupidos quondam conclamauere Quirites,
Cum Latia Græcos æquauit Horatius arte.
Non me vana fides, ceu falſa inſomnia, ludit,
Si tunc magnam animam Deus æthere dimiſiſſet,
Cum Dux AEmonius, Minyæq., Argiua iuuentus,
Sunt auſi AEgeona leui percurrere quercu,
Hunc præ Biſtonio Heroes cantore vocaſſent,
Incolumi vt puppi ſcopulos euadere poſſent,
Exitio dulci quos fecerat oſſibus albos,
Tergeminam fraudem connectens virgo Sicana.
Ergo quę chartæ dictata paluſtris arundo
Illinit, hærebunt lanci, examenq. laceſſent
Illius, æquo animo, quem ferret Delia lima
Cenſorē, aut Sulmo, & Manto, Colophonq. Rhoduſq;
Quod ſi me gratum non ignoraret alumnum
Cyrrha triumphali caput implicitura corolla,
Fruſtra Dardanię Phœbeos, SFORTIA, Romę,
Offerrem numeros. Tot non alit vnda Cayſtri
Herboſo cygnos fluuio, quot Tybride lympha
Nutriti fundunt Vates durabile carmen.
Aſpice, vt agglomerata cohors, denſuſq. virorum
Cœ-

Cœtus anhelanti greſſu concurrat ad ædes
Marmoreas Mancini, alacerq; ſedilibus inſtet;
Sublimi quoties lecturus ſede poeta
Spectantum in ſeſe flagrantia lumina vertit.
Non aliter quando atheria è regione comata
Stella micat, lucemq. nouam dimittit olympo,
Certatim è ſtratis pueriq. nuruſq. patreſq.
Somniferam obliti requiem, procurrere certant,
Viſuri igniuomos radios mirabilis aſtri.
Aera ſuſpiciunt, & ſe ceruice ſupinant
Immota, multumq. ſtupent, hærentq. ſilentes.
Lectoris docta auditor ſic ora tuetur.
At poſtquam è cathedra ſurrexerit, atq. peracto
Attigerit metam ſpatio, quiſque ordine longo
Aut elegos recitat, vel Tuſcis legibus aptum
Ponit opus. multos Muſea frequentia vero
Euehit ad Diuos plauſu, quem non leuis Eurus
Vt nubem, aut aget vt fluctum Nereia Thetis.
Si iuga Romulei ſaxi tot ditato lorum
Copia, qui penna ſolui metuente profundi
Peruolitant cœli latè loca, & omnia complent
Mellifluo cantu, non me prudentia rerum
Impulerit voces cumulare audacibus orſis.
Quis non iuraret mentem perijſſe ferenti
Nereidum ad liquidas Acheloia pocula ſedes?

Mu-

Munera ſaxoſo quis det Bacchea Cianto?
Stultitiæ eſt paſſus famam, qui floribus illis,
Quos Veneris peperit ſanguis, cum fleret Adonin,
Luxuriantis opes Pæſti exaugere putauit.
Dixerit inſanum nautam furioſus Oreſtes,
Si videat pinum trahere, & dare carbaſa flabris,
Vt gemmas ſinui importet, quem clarat Erythra
Nomine Regali. Quis Eoæ cynnama genti,
Et thura exhibeat Nabathæo, vt odore vaporet
Cœlicolarum aras, queis ſe Panchaia iactat?
Virginis Ægiſonæ volucrem gens Cecropis olim
Nutrihat ſtudio ingenti; præſaga volando
Nam latum dedit auſpicium, cum Perſica victa eſt
Claſſis, qua Nereus Salaminis littora pulſat.
In facies conciſum aurum maſſaſq; minutas
Hinc ſignabat auis, cum pars obuerſa Mineruam
Præferret. quis tunc Graia nouiſſet in vrbe
Noctiuagarum auium numerum? rem turba notauit.
Nam quoties hominis maledoctas ſibilat artes,
Ad loca cui libeat venales mittere merces,
Magnus vbi illarum prouentus commoda damnis
Mutat. noctis, ait, traducitur ales Athenas.
Hybla peregrinum mel dedignatur: Hymettus
Flauentem è ſicula ceram non accipit hybla.
Molli myrrham Arabi ex Europa nemo reponat,
illi

Illi ni myrrhata exhauriuere cerebrum,
Indideruntq; stuporem animo; ceu secla vetusta
Consueuere reos, quibus impendebat acerbi
Supplicium lethi, medicato fallere potu.
Dixeris id, palmas si quis conquirat, Idumæ
Quas referat, si quis Iudææ balsama donet,
Balsama queis cunctos fas est decedere odores.
Rugosum piper Indus habet, cui militat ingens
Amstelis; vt terras prædiuite sole calentes
Eripiat Bœtis potoribus, ipsaq; tantas
Rhenicolis ostentet opes. Labeonis abibit
In mores, qui quam celeres legere carinæ,
Cinnameam casiam Goæ ingerit, atq; Malachæ.
Atq; hæc ludebam, tua cum me impleßet asylo
Littera mentem hilarans: nam quid mage, SFORTIA, hebentes
Excitet ingenij vires, quam agnoscere dicta,
Dicta perennanti semper digniſsima vita,
Quæ tibi sacratæ referat penetrale Mineruæ;
Et Clarij cortina dei; Nasamonq; Tonantis,
Aut Cibarorum seruans secreta Thyotes,
Et Druidum antistans Sophiæ, Phariusq; receßus?

CVM

CVM SPARSVS ESSET RVMOR
DE MORTE AVCTORIS.
Gliſcente contagione Anno M.DC.XXX.

DVm leuis exanimem vulgi me fabula iactat,
Fingitur & vacuas Gaudentius ire per vmbras;
Nos quà pulchricomos tollit Florentia colles,
Inuidiæ rabidas voces, & triſtia vota,
Tradimus Æoliæ per inane ferenda cateruę.
Sæpeque Virginei fulgentia limina templi,
Marmoreosq; gradus premimus, doctamq; plateã.
Hic vbi quotidie lætos Deus excitat ignes
Lemnius, & varium diſpergit in aera murmur.
Nam Fera, quæ Tuſcas nuper vexauerat vrbes,
Concidit, vt monſtrũ quod quondã ſtrauit Apollo.
Hinc poſtquã cecidere vmbræ, Pontoque ruit nox,
Illuc ſe glomerat greſſus (nam dulcis edendi
Suadet amor) ſocijs vbi ſpendida ianua plauſum
Duplicat, & larga ponit conuiuia menſa.
Cumque hilares animi incaluere, effundimus iram
In caput illorum, multo ſermone morantes,
Queis ſtudium effręni eſt mendacia ſpargere lingua,
Optandoque alium manes dimittere ad imos.

Nam veluti mergi, nisi naufraga saxa carinam
Impulerint, fractosque artus ad littora fluctus
Voluerit, ingluuiem nequeunt satiasse molestam:
Sic fila alterius nisi soluerit improba Clotho,
Effrontes illi, quos nullo nomine signo,
Lethæos latices, & longa obliuia sperant.

IN S. IOSEPHVM ACADEMIAE, quæ dicitur,

Disiunctorum Præsidem tutelarem.

NVnc est silendum. Trux strepitus decet
Gradiui Alumnos. se Geticus furor
Clamore iactet, quando pugna
Sanguineis manibus serenda est.
IOSEPHE nostris addite cœtibus,
Adsis beatæ lætitiæ dator.
Festamq. lucem dã Camœnæ
Doctiloqua celebrare voce.
Illustre nobis dissidium dedit
Nomen, sed vno pectore iungimur
Quando tuæ laudes canendæ,
Vnanimes socij vocamur.
Sic Diua suadet Pax, oleam ferens

Pax,

Pax, FERDINANDO quæ redimit comas,
Dum bellicus turbo gementes
Italiæ populatur oras.
DVX MAGNVS vnam munere TVSCIAM
Donat quietis. dum loca deserunt
Musę tumultus plena, PISAS
Omine confugiunt secundo.
Gressus profanos hinc moueat procul
Discors Erynnis, Bistonium ad sinum,
Ad Thracias sedes, & vltra
Sauromatum latebras itura.
Hic Sancte PRÆSES, Sancte Senex tibi
Sedes dicantur. Concinit hic lyra
Carmen, quod Istri potor, atq.
Vltimus excipiat Britannus.
Certamen vnum, nomine quis tuo
Se digniorem præstiterit, viget.
Certamen, immoto quod ARNVS
Lydius aspiciat fluento.
Hic ALDERANVS flos Ligurum, domus
Germen vetustæ, flammigerum iubar
Doctæ Iuuentæ, Phæbus alter
Nos radijs hilarat serenis.
Cui si secundus PEPPOLVS it Comes,
Lux Felsinæ, pulchro reliquis præit

Splendore, nocturnos vt ignes
Fax Triuiæ superat potentis.
Nec te silebo SFORTIADE, vetus
Quem BRIPPIORVM stemma per Ausonas
Reddit celebrem, quiq; splendes
Nomine SEPTALII Sodalis:
Vos quando noti suscipient lares,
Narrate honorem, quem, meritum sibi
Tutela DISSIDENTVM Etruscis
Vindicat auspicijs IOSEPHVS.
GAVANTE, fandi copia quem Patrum
Miscet cateruæ, cum Capitolium
Sospes videbis, dic amicis,
Quos ego plus oculis amabam,
Quantum Poetæ ludicra fluctuum
Incogitanti syllaba mouerit.
Quid Regibus fiet, timendum
Quos decus imperij lacessit?

Aliud in eundem S. IOSEPHVM.

CVm destinasset impiæ pueros neci
Sæuus Tyrannus (fama nam Regis noui
Incusserat grauem timorem pectori)
Summi Parentis voce missus Aliger
San-

Sanctum monet virum Iosephum in somnio
Infantem amaro subtrahat periculo,
Ipsumq cum parente Diua Iesside
Ad diuitem ducat Pharum, septemfluus
Quà Nilus vndas euomit Pelusias.
Paret moræ vir nescius, tutum in locum
Defert suæ fidei puellam creditam,
Puerumq., Cœli quem domus Dominum colit,
Pauensq. flexo terra adorat poplite.
Pressus Tyrannus interim doloribus
Quos morbus atrox intulit miserrimos,
Inter querelas oppetit nigram diem,
Et luridi descendit Orci ad Tartara.
E Nuncio hoc Cœlesti vt audiuit Senex,
Redit Paternos ad Lares, & educat
Iesum, velut pignus foret dulcissimum.
O te beatum millies hoc munere,
Iosephe, dum tua in domo degit Puer,
Nitens Olympi quem domus Dominum colit,
Pauensq. flexo terra adorat poplite.

IN

IN S. TORPETEM.

PESTE DEPVLSA.


ROCHVM alij ſtygis erepti furialibus iris
Carmine clarabunt, ROCHVM pro munere magno
Patronũ ante aras dicet votiua tabella.
Orantes alij vultus in VIRGINE figẽt,
Atq. ſuæ extollent geminata voce ſalutis
Auctorem, auctorem vitæ melioris, in vnam
Ætheria effundent deflexo poplite vota.
Nos quà Piſarum medijs ſe mœnibus infert
Arnus, & Etruſcas leni rigat agmine glebas,
TORPETEM canimus: Patrum longiſſimus ordo
TORPETEM memorat, crebra face tẽpla petũtur
TORPETIS, cuncti grato ſimul ore ciere
Cœlicolam, ante alios qui lumina flexit ad vrbem
Stellifera è regione vices miſeratus atroces.
Iam ruerat ſeptem per ſidera luctificus ſol,
Nulla dies miſerorum hominum ſine funere abibat.
Serpebat violenta lues, perq; omnia latè
Compita, mortiferum virus ſpargebat eundo.
Non doctas adhibere artes, non gramine ſuccos
Proderat expreſſos vario miſcere paratu.

Ipſaq;

Ipſaq; Tuſci olei vis tetra aconita retundens
Sæpiùs indomito viſa eſt ceſſiſſe dolori.
Quiſq; ſibi metuens latebris gaudebat, & vmbra.
Aut ſolus quandoq. via ſpatiatus inani
Dulcia vitabat commercia ſegrege paſſu.
Atria Portarum multa veniente caterua
Preſſa olim, vigili cuſtos ſtatione tenebat.
Nec niſi quos certo ſignaret nomine charta,
Charta notis reſonans, tectum ſubijſſe iubebat.
Hinc multos retuliſſe pedem, & procul ire videres.
Sed quoties, cuius ſub pectore tetra latebat
Horrifici tabes morbi, dum littera fallax
Præſtinguit, rigidas dum frangit gratia leges,
Aduena ſubrepens male cautis verba reponit?
Ergo humana parum fuerat vigilantia tantis
Luctibus, obtuſumq; malo medicamen hebebat.
Mira ſalus, Tuſcis quam ſera nepotibus ætas
Concinet, & nullo expungent obliuia ſeclo,
Diuino ſtetit auſpicio, cum Sacra redirent,
Annua Sacra, die, qua TORPES templa Tonantis
Ingreſſus, nubes, & ſidera cernere cœpit
Sub pedibus. fax illa nigros diſiecit amictus,
Lætaq. Piſæis diffudit lumina campis.

PRO

PRO PACE ITALIAE votum.



NNE erit, vt poſtquam toties ſe Pallas oliuæ
Prætendens ramos, feralibus intulit iris
Conciliatricem, nos ditet pace ſequeſtra?
Magne Pater mundi, ſi ſemper lumine blando
Aſpicis Heſperiam, iubeas, miteſcere Regum
Pectora, nec nocitura Italis aſſueſcere bella.
Hinc Batauus mouet arma, Ducis quà ſylua ſuperbit,
Frondibus intonſis, illinc quà cornua tollit
Albis, Parrhaſię meditantur prælia turmæ.
Si noſtris meliore luto præcordia ſtruxit
Militibus Titan, cur nos diſcordia ſcindit
In ſtudia, atq. animos agitat feralis Erynnis?
In caput hæc abeant Thracum, aut qui Thracibus auſu
Tartareo aptantur. ſed fundit inania verba,
Quiſquis ad iratos componit carmine queſtum.

Mor-

MORTALITATIS CONTEMPTVS

Meditatio authoris, cum lenta febri decumberet. An. M DC XXX III


ECCE iterum afflxum lecto me tabida cogit
Languere febris, & spei
Si quid erat super importuno impẽdere letho
Heu qualis est mortalium
Conditio, vt post tot curarum noxia tela,
Post tot labores, & vices.
Annorum celeri labentum turbine; cedant
Mortis seueris legibus.
Sed mentis vigor ætherio delapsus Olympo,
Mortalitatis nescius
Parcarum imperium spernit, funebreq; carmen.
Diuinus hoc clarè Plato
Socraticis tradit dictis, sophiaq; redundans.
Sic magnus ille differit
Phœdo, barbatus cum turbida fata Magister,
Haustu cicutæ nobilis
Pectore tranquillo foret excepturus, & arcti
Fracturus omne vinculum
Corporis. implicitam quis enim neget artubus esse
Ceu mancipatem carceri

Infelicem animam, dum colluctata molestam
Turbam experitur sensuum?
Nunc stimulis odij, & vindictæ agitatur acerbis,
Et dicta in hostium caput
Vibrat terrifico perfusa liquore lycambes.
Quin intumescit follibus
Quos ciet ambitio, & nunquam satiata cupido
Mox transituræ gloriæ.
Non ego centenis sperarim vocibus omnes
Fallacias exponere,
Queis amat humano versuta illudere mori
Magistra falsi opinio.
At sapiens ratione animum premit, & reuocat se
Ad dedicatam originem,
Cum se signarent vestigia tramite recto,
Nec ferret in præceps via:
Sordes materiæ expurgat, moresq; beatos
Auidè æmulatur mentium,
Quæ rutilæ sedis flammanti luce fruuntur,
Terramq; inanem nesciunt.
Illæ nostrarum fallacia nomina rerum
Rident. premuntq; sub pede
Obductas nubes, & quicquid vulgus adorat
Sub falsa honorum imagine.
Sub specie argenti, fuluiq; colore metalli

pij ſub vmbra conſilj,
Quo nunc rem faciunt homines, quos dicere nolo.
O ſeculi imperitiam.
Quam numero pauci agnoſcunt, ſed tollere nemo
Tantam auſit inficetiam.
Quis temere inſurgat, quis tollat brachia contra
Torrentis horridum impetum?
Sed quò verſiculos rapit indignatio noſtros?
Languore proh quali premor.
Dum dedignatur ſomnus me tangere virga;
Noctes tot inſomnes traho.
Et membra huc illuc per longa ſilentia iacto;
Turba Æſculapij manus
Nequicquam medicas adhibet. depaſcitur artus
Lentus calor, lentum malum.
Quod ſenſim humorem innatum delibat, vt ipſum
Succo carens cor areat.
Quicquid id eſt, ſæuire potes lex improba fati
Partem in caducam corporis.
Aſt expers mortis pars immortalis in omnem
Caſum parata deſpicit
Imbelles luctus, & fœmineos terrores,
Citis itura paſſibus
Quò vocat humani generis Seruator, ab orco
Quos morte reuocauit ſua.

De fabula vitæ humanæ.

HÆC vita ſcena eſt. quiſque agit partes ſuas.
Hic doctus, ille indoctus, inter pauperes
Hic, ille diues. paret hic, alter regit.
Hic plauſu ad aſtra tollitur: ſed alterum
Spectator explodit. nouiſſime redit
Quiſquè vnde venerat, vices tunc omnium
Æquantur, vt paria fient ſceptrum & ligo.
Heu qualibus nos cogitationibus
Vexamus, vt noſtram probemus fabulam!
Sed fabula eſt, & ſcena ludi ludicra.
Quod ſeriò ſi noſtra mens expenderit,
Non ſcena, non hic ludus eſt, non fabula.
Spectator intuetur è cœlo deus.
Is improbos, vafros, & ignauos malè
Mulctat datos Plutonis obſcuram in domum.
Virtute vera præditis dat præmia.



AD IO: CAROLVM COPPOLAM *Egregium Poetam*.

FAMA poli cultrix, proles ſplendentis olympi,
Quæ doctorum hominum fœtus ſubducis edaci
Temporis inuidiæ, & longum tranſmittis in æuum,
Huc ades alarum plumis pernicibus apta,
Huc propera, Etruſcosq; modos, citharamq; ſonoram,
Qua cupidas aures facundus Coppola mulcet,
Trans Phaethonteum Eridanum, monteſq; niuales
Differ in Europam, vt Germanus, & acer Iberus,
Et Gallus legatore pio pia germina Pindi,
Queis primæ eximitur culpæ pulcherrima Virgo,
Virgo enixa Deum, atque Dei dulciſſima cura.
O quali euehitur Ieſſæia Diua Camœna,
Inclyta quam claro ſplendeſcit pagina verſu,
Quam dulci ſurgit numero, celerique per omnem
Hiſtoriam excurrit paſſu, narratque docendo,
Quæ ſors conſilio incauto verſarit Adamum,
Perdideritque genus fœdatum ab origine prima.
Hinc pietas miſerata homines petit æthera purum,
Et meliora rogat, tetri ne ianua Ditis
Excipiat ſontes, plectatque Acheronte profundo.

Olli

Olli se facilem præbet regnator Olympi,
Et statuit Natum celso dimittere cœlo.
Inde Genitricem molitur,& ordine longo
Virgineæ accumulat formæ cœlestia dona,
Quæ resono potuit Vates comprendere versu,
Vates, cui viridem Parnassia numina frondem
Imponunt, famamque iubent extendere cantu,
Dum FERDINANDVS, Tusci cui summa potestas
Imperij, facili largitur munera dextra,
Et resides vigili depellit pectore curas.

CAMILLI ACARISII.

EPICEDIVM.

SI mihi res congesta domi multiplice censu
Æquaret Licinj campos, immaneque votum
Romulei proceris,quo pugnax Parthe perempto,
Ornàsti Babylona aquilis, signisque Quiritum.
Si mihi ventorum contemptor ferret ab Indis
Fulgentes auri massas, niueosque lapillos,
Mens foret aeriam nitido de marmore molem
Ponere, & in tabula nomen signare Camilli,
Virtutum ne illustre decus longæua vetustas
Ferret, & egregiam obruerent obliuia laudem.

Nunc mihi quando focum lustrat secura patella
Ignibus assiduis, & me metitur in illis
Propositum immodica excutiens, his floribus vrnam
Aspergo, terraque leui precor ossa quiescant.

CAROLO AVGVSTINO Mellæ Legum Studioso,

Publicam habenti disputationem.

IMpauidum iuuenem Germanis nomine signat
Carolus, audaci qui cedere nesciat hosti.
Quis nam Augustinum subtili indagine rerum
Vicit? habet quo se Tyriorum Punica tellus
Iactet, & ingentem sub sidera tollat alumnum.
Romuleis Mela mella fauis hyblęa coegit,
Lemmataque Eunomię sparsit dulcedine mira.
Nominis auspicio triplici qui niteris, vrge,
CAROLE, successus, iuuenilem concute mentem,
Ire procul tetrę taciturna silentia noctis,
Ire iube nebulas, consternatumq; timorem.
Inuidia maior sinuosa sophismata solue,
Et veri Interpres dulces diffunde loquelas.
Nam potes, assiduum quem iuuit voluere libros,
Vt parcæ instar apis libares aurea dicta,
Aurea BELLONI gratum meritura fauorem.

DE

DE MELLÆ CONATIBVS

Ad Antonium Bellonum primum Præsidem Senatus Pedemontani, Clariss. I.C.

MAgnanime Antoni, quo Pręside sācta per Vrbes
Perq; Subalpinos populos dat iura Senatus,
Hæc lege, sed mitis, rapidæque ignosce iuuentæ.
Namq; Adolescentē hunc generosa cupido sciendi
Egit præcipitem per tot discrimina veri,
Per Labyrinteas salebras, perq; auia legum.
Cernis, vt audacter tot nomina magna lacessat.
Vrget Hotomannum, Fabrum premit, ipsius audet
Cuiaci ter magni hominis dispungere dicta.
Quis non suspiciat mentum lanuginis expers?
Quis non miretur iuuenis fælicia cœpta?
Tempus erit Mellæ cum facta peritior ætas
Iudicio subiget, quæ nunc celer impetus edit.
Si modo cœlicolæ aspirent venientibus annis,
Atq; tuus, BELLONE, fauor pia prouehat ausa.

FINIS.

243

INDEX EORVM

Quę continentur


IN CHARTIS PALANTIBVS.

Hu-

Picus

Veneti

F I N I S.


255